aptantur per quotidiana exercitia, & media publica in hunc finem directa.

Duaci iterùm magna liberalitas duorum Abbatum, qui extra muros cœnobia celeberrima habent, effulſit; nempè Joannis Lentailleri, Aquicinctenſis, & Arnoldi Gantois, Marchenſis. Quorum ille collegium excitavit, in quo quingenti convictores ſeparatim habitare poſſint. Hic etiam ſplendidiſſimum inſtruxit, atque ex his juventus in Philoſophicis erudita, ad ſuperiores facultates tranſmittitur.

In Anglia verò quæ Collegia olim inſtruendæ juventuti inſtituta fuerint, docet unicum Oxonienſe, quod ſive proventus, ſive ſtructuram ſpectes, ſuperat vel decem è noſtris. ☞ *Vide paulo antè.*

Cęterùm inſignem erga Litterarum ſtudia munificentiam teſtatus eſt Gregorius VIII. Pontifex, qui Catholicæ Religionis propagationem, non armis dumtaxat, ſed domeſticis diſciplinis inſtaurari non ignorans, varia per urbem, & orbem Seminaria inſtituit; in quibus lectiſſima è quavis penè natione juventus, certa lege, numero, diſciplina aleretur. Et quidem in Urbe ipſa, Societatis Jeſu clericis, ad uſum Romanæ juventutis, unum excitavit: alterum Germaniæ populo: tertium Neophytis Hebræis: bina Anglis, patria ob religionem profligatis: alia inſuper Græcis Maronitis, Illyricis.

His adde Viennenſe in Auſtria: Pragenſe in Bohemia: Græcienſe in Syria: Olomucenſe in Moravia: Branſpergenſe in Pruſſia: Muſſopontanum in Lotharingia: Ulnenſe in Lituania: Claudiopolitanum in Tranſylvania: Funenſe in Japonia: Ariminenſe denique, & Anzuchixamenſe, ac Fuldenſe in Germania. *L. Beyerlinck in ſupplem. Chronici Opmeriani.*

* Honores Decreti.

Dictum eſt ſuprà, Julium Cæſarem civitate donaſſe Profeſſores Medicinæ in urbe Romana. Ex *Suetonio.*

Albertus Princeps Belgarum, cultorque litteratorum hominum, qui & ipſe inter illos accenſendus, cum & linguæ Latinæ fuerit peritiſſimus, & amantiſſimus; Juſtum Lipſium honore tituloque Conſiliarii, ut omittam lautiſſimum ſtipendium, auxit. Quin & ipſius conſilium in politica adminiſtratione rerum ſtatus adhibuit aliquando.

Præſtant id alibi alii Principes, neque magis dignè titulos ſuos conferunt, quàm in hos dignos.

* ACADEMIÆ NULLÆ.

Apud Sinenses.

Apud Sinenſes, ut tradit Nicolaus Trigautius Belga, viget Philoſophia moralis, quam traditione à quodam Confutio, quem volunt vixiſſe ante annos ſupra bis mille, adeòq; pene DC. ante Chriſti adventũ, acceperũt: acceſſerunt, Aſtrologia, Geometria, & Medicina. Superat autem reliquas ipſa Philoſophia moralis, quæ apud illos in pretio, & libris quatuor continetur, quos *Tetrabiblion* appellant. Ex his autem & doctrinæ, & gubernationis præcepta hauriunt, imò peritiores univerſos memoriæ mandant, ſic ut recitare textus omnes opportunè valeant, & ex illis ſingularum actionum rationem depromant.

Sed quamvis plures illis incumbant diſciplinis, nullas tamen Scholas aut Academias, ubi publicè prælegantur, habent, quod perperam plerique aſſeruerunt; ſed quiſque præceptorem, ſive magiſtrum deligit pro arbitratu, à quo domi ſumptu ſuo inſtituatur. Unde ingens illorum eſt numerus, neque enim plures ab uno inſtitui aptè poſſunt, vitio characterum Sinenſium. Quanquam autem Academiam non habeant, in qua publicè doceatur; ſunt tamen in ſingulis urbibus loca, quæ ludos ſua lingua appellant, in quibus fit examen illorum, qui ſtuduerunt, & gradibus ſuis inſigniuntur, qui benè profeciſſe per examen deprehenduntur. In quem finem inſignis aliquis à Rege deputatus, præ aliis litteratus, quem *Tihio* appellant, urbes ſuæ Provinciæ peragrat, gradum poſt triplex examen collaturus. ☞ *Vide ſuprà Gradus Academici.*

Apud Turcas.

An apud Turcas etiam in media Barbarie Academiis locus detur, meritò ambigitur. Pars negativa omninò probabilis videtur, cùm præter Joannem Bohemum nemo affirmativam aſſerat, aut locum, ubi Academiæ inſtitutę ſint, deſignet. Hoc tamen tradit *Lovicerus* teſtis oculatus *l.2. hiſt. Turcicæ cap.*10. Scholas particulares pro pueris, & puellis apud eos inſtitui, ſic tamen, ut eas non ſubeant, niſi quoaduſque linguam vernaculam ſcitè legere, & ſcribere noverint. Quod ubi didicerunt, ad aliud vitæ genus, in quo ætatem exigat quilibet ſe confert. Scholas *Ochummachirlei*, & pedagogos *Hogſialar* vocant. Si tamen aliqui mechanicam non adſpirant, ſed inter eruditos cenſeri ament, illi in Aſtrologiam ſtudia ſua convertunt, & in rhythmis undecim ſyllabarum contexendis occupantur, nec aliam præter hanc muſicam habent. Hæc Lovicerus ſuprà.

Accentus.

☞ *Petantur ex loco de Scriptione pleraque curioſa, Tit. de Notis, §. Notæ Grammaticæ.*

---

* Acceptio perſonarum.

* Definitio & Etymologia.

Acceptio perſonarum (Græcè προσωποληψία, quod nomen non minùs rectè verti potuiſſet, Acceptio vultus vel faciei, ut ex Hebræo נשא פנים colligitur) generatim juxta modum loquendi Scripturæ dicitur, quando in aliqua diſtributione non reſpicitur cauſa, ſed perſona, id eſt aliqua perſonæ conditio nihil ad prædictam diſtributionem pertinens, ob quam is, qui minùs dignus eſt, præfertur digniori: ut ſi quis Prælatus beneficia, officia, vel ordines ſacros, omiſſis dignioribus, conferat indignis vel minùs dignis, quia amici, conſanguinei, divites: ſi judex ſententiam ferat pro amico, non pro eo, qui jus habet.

Itaque duo propriè ad hoc vitium requiruntur. Primò, ut bona quæ diſtribuuntur, ſint aliquo modo communia, ſaltem deſtinatione ejus, qui illa diſtribuit: ut ſi quis ludos inſtitueret propoſitis præmiis, & ea diſtribueret poſteà non victoribus, ſed amicis ſuis, diceretur acceptor perſonarum. Secundò, ut in diſtribuendo ſpectetur aliqua conditio perſonæ, nihil ad diſtributionem faciens, ob quam indignior præfertur digniori. Ita *Leon. Leſſius lib.2. c.32. dub.1. in lib. de Iure & Iuſtitia.*

In quorum bonorum Distributione fiat.

Primò acceptio perſonarum locum habet in diſtributione Juris, quam facit Judex, dum partibus jus dicit, ut docet *D. Thomas quæſt.63. art.4.* etſi enim jus dicere ſit actus Juſtitiæ commutativæ, quatenùs ex officio eſt debitum; tamen quatenùs fit inter duos, habet modum juſtitiæ diſtributivæ. Jus enim ſuo modo eſt, quoddam bonum commune diſtribuendum partibus.

Secundò, locum habet in collatione beneficiorum, & in electione, & præſentatione ad illa; beneficia enim jure naturali, & poſitivo debent conferri dignioribus, id eſt, qui optimè putantur officio functuri. Unde ſi conſanguinitas, amicitia, vel ſimile quippiam nihil ad officium pertinens, in electione, præſentatione vel collatione ſpectetur, omiſſis dignioribus, committitur vitium acceptionis perſonarum. *Vide D. Thomam art.2.*

Tertiò, in conferendis officiis ſæcularibus, ut in officio Conſulis, Prætoris, Senatoris, Conſiliarii, Quæſtoris, & ſimilibus: hæc enim ſunt bona quædam communia Reip. inſtituta ad ipſius commodum, quorum diſtributio pertinet ad Principem. Unde tenetur jure naturæ ea maximè idoneis & Reip. utilibus conferre.

Quartò, locum habet in oneribus diſtribuendis: hæc enim juſta proportione diſtribui debent, ne pauperes magis graventur, quàm divites.

Quintò, in exhibendo honore, ſeu reverentia: ut ſi quis in publico conſeſſu aut in menſa alicui non aſſignet locum, qui ei ratione eruditionis vel gradus debetur, debet tamen id fieri dolo aut data culpa: alioquin non cenſetur injuria. Titulus namque, ob quem alicui debetur honor, eſt excellentia naturæ rationi congrua, quæ conſiſtit in ſapientia, virtute, & potentia: nullæ enim aliæ perfectiones reddunt naturam rationalem excellentem & honore dignam.

Nulla in Deo, Eique Exosa.

Conſtat ex jam dictis, apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum, etſi dona ſua neque omnibus, neque æqualiter inter homines diſtribuat.

Primò,

Primò, quia acceptio perſonarum locum non habet, dum quis bona ſua propria, ad quæ illi, quibus fit diſtributio, nullum jus habent, diſtribuit.

Secundò, Deus in hac diſtributione non præfert indignum digno ob aliquam conditionem in homine exiſtentem, quæ nihil ad diſtributionem faciat. Etſi enim interdum minùs dignos majoribus auxiliis præveniat, id facit ob juſtiſſimas cauſas, nempè ut oſtendat ſe gratis dare, & nemini ſe eſſe debitorem horum donorum.

Tertiò, quia omnibus auxilia prima ſalutis impertit, prout fert conditio cujuſque, & quemque juvat ad ulteriora, ſaltem quatenùs ſe ille per priora auxilia diſponit, & idoneum reddit.

Moyses quò efficaciùs populum adverſus hoc vitium præmuniret, Dei exemplum adhibet, dicens: Deus Dominus veſter, Deus deorum, & Dominus dominantium; Deus magnus, potens & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera. *Deut. cap.*10.

Bonus Rex Joſaphat informans ſuper hac re Magiſtratus, & Judices ſuos: Non eſt, inquit, apud Deum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Cauſam autem huic rei reddit Sapiens *cap.6.* Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit: & eſt ei æqualiter cura de omnibus.

Isajas prædicens Meſſiæ adventum, id ſignanter in eo notat, quòd non ſecundùm viſionem occulorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia pauperes, &c.

Quod reipſa docuit. Primò, quando in mundum veniens, dedit poteſtatem filios Dei fieri, omnibus credentibus in nomine ipſius. *Ioan.*1.

Secundò, quando non multos nobiles, non multos potentes, ſed infirma mundi, pauperes piſcatores, idiotas, contemptui habitos elegit, ut confunderet potentiam, ſapientiam & firmitatem ſæculi. 1. *Cor.* 1.

Quando Phariſæis æquè ac aliis dixit, Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ! Auferetur à vobis regnum Dei, &c. *Matth.*23.

Quin dicentibus ipſis, Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, non enim reſpicis perſonam hominum; ſciens eorum malitiam, dixit: Quid me tentatis hypocritæ? *Matth. cap.*22.

S. Petrus, poſtquam vocationem Gentium ad fidem, per linteum illud expanſum in cœlo, in quo omnis generis animalia erant, cognoviſſet, admirans clamavit: In veritate comperi, quòd non eſt acceptor perſonarum Deus: ſed in omni gente, qui facit juſtitiam, acceptus eſt illi. Ita *Ambroſius,* Nulla apud Deum perſonarum diſcretio eſt, ſed vitæ & morum: ut homines unius fidei meritis diſtinguantur, non perſonis. *Actorum cap.*10.

Hoc interim in gratiam Lectoris addimus loco præſenti, in Deum non cadere acceptionem perſonarum, quantumvis unum per gratiam aſſumat, & alterum in peccato relinquat. Nam duplex, inquit *S. Thom. 2. 2. qu.63.* datio, una pertinens ad Juſtitiam, cum quis dat alicui quod ei debetur; alia pertinens ad liberalitatem; ad hanc autem pertinet collatio munerum gratuita, & in ea locum non habet acceptio perſonarum; quoniam poteſt de ſuo dare, quod, & quantum, & cui vult. Juxta illud: Non licet mihi quod volo facere? &c. *Matth.*20.

Exempla S. Scripturæ.

Veri Prophetæ in populo Dei perſonarum acceptores eſſe noluerunt. Impius Rex Achab, cum diceret ad Eliam, Tune es, qui conturbas Iſrael? reſponſum ab eo accepit: Non ego turbavi Iſrael, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandatum Domini. 3. *Reg.*18.

Etiam Heliſeus ſtans coram Rege Joram idolatra, & coram Joſaphat Rege Juda fideli, ut pro illis Dominum conſuleret, illum conſtanter redarguit, hunc reveretur. Ad Joram enim dicit: Quid mihi & tibi eſt? vade ad Prophetas patris tui (Achab) & matris tuæ (Jezabel.) Et ſtatim: Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, quòd ſi non vultum Joſaphat Regis Juda erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. 4. *Reg.*3.

Propheta ille miſſus ad Amaziam idola Seir colentem, quæ bello ceperat, intrepidè ait: Cur adoraſti Deos, qui non liberaverunt populum de manu tua? Cumque Rex illi diceret: Nunquid conſiliarius Regis es? Quieſce, ne interficiam te; adjecit tamen: Scio, quòd cogitaverit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper quia non acquieveris conſilio meo. 2. *Paralip. cap.*25.

Sic & alii Prophetæ, Jeremias, Nathan, &c. non reſpexerunt perſonas Regum ſuorum legem Dei prævaricantium, Manaſſis, Sedechiæ, David; quominùs & peccata eorum arguerent, & Dei comminationes exponerent.

Præcurſor Domini Joannes Baptiſta non reſpexit perſonam Herodis, quominùs ei liberè diceret, Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Marci cap.6.* Talis certè eſſe debet omnium Judicum, Sacerdotum, & Paſtorum virtus, conſtantia, fortitudo, ut abſque perſonarum acceptione peccantes arguant, veritatem doceant, diſciplinam conſervent.

Exempla Historica Sacra.

Innumera exempla ſuppeditat Eccleſiaſticorum Annalium ſeries, eorum qui hoc vitium deteſtati, faciem potentum non erubuerunt. Obvia ſunt dicta & facta ſanctorum Eccleſiæ Epiſcoporum, Athanaſii, Hoſii, Leontii, Hilarii, Chryſoſtomi, Ambroſii, Stanislai, Thomæ Cantuarienſis, qui Regum ſuorum, Conſtantii, Arcadii, Valentiniani, Theodoſii Imp. Boleslai Poloniæ, Henrici II. Angliæ Regum, vultus faciemque non ſunt veriti, quominùs legem Dei prævaricantes, & poteſtatis ſuæ limites adverſus Eccleſiæ immunitatem excedentes, exemplo Azarię Pontificis, Oſiam Regem ſacerdotalia ſibi arrogantem corripientis, 2. *Paral. cap.26.* libertimè, & intrepidè arguerent.

Sic etiam Patrum memoria, Thomas Morus Angliæ Cancellarius,, & Joannes Epiſcopus Roffenſis, impiis Henrici VIII. conatibus, dum ſibi Eccleſiæ primatum vendicaret, obſtitere: nec ullis promiſſis ab ea conſtantia potuerunt dimoveri, ut latè tractat *Sanderus de ſchiſm. Anglic. & Thom. Staplet. lib. de tribus Thomis.*

S. Bernardus inſtruens Eugenium Pontificem, dicit inter alia: Non ſit in te acceptio perſonarum. Non parvi te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum, & non potiùs cauſas judices meritorum. *Lib.2. de conſiderat.*

S. Hieronymus monet Celantiam, *Epiſt.* 14. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obſcuriores, & humili loco natas te inferiores putes. Neſcit Religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum. Servum & nobilem de moribus pronuntiat. Legatur *S. Ambroſ. lib. de officiis, c.24. Auguſt. Epiſt.29. Iſidorus de ſummo bono lib.3. cap.55. Baſilius hom.21. ex variis.*

Ethnicorum Exempla.

Et quidem eorum qui nobiliorem perſonam, aut potentiorem non reſpexerunt.

Adrianus Imp. hujus rei præclarum edidit exemplum. Tranſeuntem illum mulier quædam rogavit, ut ſe audiret. Cui cum ipſe reſpondiſſet, Otium mihi non eſt: illa deinde clamans, ait: Noli ergo imperare. Tum converſus eam audivit. *Dion. Nicænus in Adriano.*

Nec minùs laudabiliter Philippus Macedonum Rex, qui Machetæ cujuſdam pro tribunali ſedens cauſam audivit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad juris æquitatem: itaque ſententiam tulit adverſus Machetem. Verùm cum is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia appellare; Rex iratus, Ad quem, inquit? Cui Machetes, Ad te ipſum, ò Rex, ſi expergiſcaris, & attentiùs cauſam audias. Ac tum quidem ſurrexit Rex: & ubi, cauſa attentiùs audita, Machetæ factam injuriam intellexiſſet, judicata tamen non reſcidit, ſed pecuniam, qua damnatus fuerat Machetes, ipſe perſolvit. *Plut. in Apoph.*

Zeleucus Locrenſium Rex, ſic perſonas reſpicere noluit, ut quum legem tuliſſet de adultero utroque oculo orbando, filiumque in adulterio deprehenſum utroque privari populus non permitteret, ſeipſum uno, filium altero oculo privaverit, ne propter acceptionem perſonæ, lex ab ipſo lata violaretur. *Val. Max. lib.6. cap.5.*

Sanè ut ſol non alius eſt pauperi, alius diviti, ſed omnibus communis; ita Principes perſonam ſpectare non debent, ſed rem. Sicut eadem trutina eiſdemque ponderibus aurum ponderatur & plumbum; ſic eadem æquitate parvis & magnis juſtitia adminiſtranda eſt. ☞ *Conſulatur Titulus de Eleemoſyna, Pauperum cura, Prædicatione. Item vide in quorum bonorum diſtributione locum habeat.*

Cele-

A Celebre eſt illud Trajani Imperatoris, qui tribuno militum renunciato, ſtrictum enſem in manus dans, ait: Cape ferrum hoc, & ſi quidem rectè imperium geſſero, pro me; ſin aliter, contra me hoc utere. *Dion. Caſſius.*

Themistocles, cùm ab eo Simonides Chius Poeta præter æquum quiddam poſtulaſſet, Neque tu, inquit, bonus Poeta eſſes, ſi modos & numeros in canendo contemneres; nec ipſe bonus prætor, ſi gratiam cujuſquam legibus præferrem. *Plut. in Themiſt.*

Cum Ariſtides aliquando quempiam in judicium vocaſſet, & hi qui rem illam judicabant, poſt Ariſtidis accuſationem, reum cauſam dicentem audire nollent, quia ſuffragia, quibus damnaretur, extemplò poſtularent; aſſurgens Ariſtides, ſupplex apud Judices interceſſit, ut illum, quemadmodum legibus ſtatutum erat, audirent. *Idem.*

Papinianus juſſus à Caracalla occiſi fratris Getæ facinus in Senatu, & apud populum diluere, recuſavit, dicens, non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm fieri. *Spartianus in Caracal.*

Cleones, ut primùm Rempublicam attingere deſtinavit, B vocatis amicis omnibus, ſolvere ſe velle dixit amicitiæ vincula: ſubdiditque rationem, ſolere amicitias pleraque recta & juſta ſubvertere, quòd homines Rempublicam adminiſtrantes, utpotè affectu, & mollitie quadam occupatos, ſæpenumerò à via deducit recti officii. *Plut.*

Henricus V. Anglorum Rex, defuncto patre ſceptro potitus, ſodales & familiares ſuos omnes, quibuſcum vivente patre diſſolutè vixerat, ad ſe vocatos, & quibuſdam muneribus donatos, ſic à ſe ablegavit, ut ſub pœna capitis interdiceret, ne unquam, niſi mores in melius mutarent, ad aulam regiam accederent; ne videlicet eorum corrupta familiaritate vel ipſe corrumperetur, vel judicium & juſtitiam ſæpè corrumperet. *Annales Angliæ.*

Phocion Princeps Athenienſium, ne genero quidem ſuo Carillo, repetundarum dicturo cauſam, adeſſe ſuſtinuit, inquiens: Equidem mihi generum te hominem juſtum, & probum optavi. Quæ cum dixiſſet, deſerto genero, continuò inde ſeſe proripuit. Quid? quòd nec fratris perſonam in juſtitia accipere voluerunt Ethnici, qui juſtitiam coluerunt. *Plut.*

C Timoleon Corinthius, ubi fratrem, quò tyrranide abſtineret, monitis atque precibus movere ac perſuadere nequivit, his ſubinde navavit operam, qui illum interemerunt, non fratris odio, ſed Reipublicæ, & juſtitiæ amore. *Idem in Timoleonte.*

Antigonus Rex, ad adoleſcentem quempiam, qui prognatus quidem ex elegante viro belli duce, ſed ipſe ignavus ac mollis; poſtulabat tamen ob id cæteris ad dignitatem quandam anteferri. Apud me, inquit, ò adoleſcens, virorum, non parentum virtutibus præmia ſunt. *Idem in Politicis.*

☞ *Vilioris perſonæ reſpectus habitus. Item, Carnis & ſanguinis nulla ratio habita.*

---

* Accidens.

Acceptio Varia, Definitio & Etymologia.

Accidens τὸ συμβεβηκὸς vox eſt Dialecticis & Philoſophis uſitata, ab accido, quod grammaticè ſignificat juxta cado, vel contingo. Sunt illius variæ acceptiones D apud Philoſophos. Accipitur enim aliquando pro omni illo quod eſt extra eſſentiam ejus, cum quo comparatur, ſic ut etiam ſubſtantiæ veniant hoc nomine intelligendæ, quo modo Ariſtoteles dicit hominem eſſe accidens. Heri. *in cap. ad aliud.* Item ſumitur accidens pro re exiſtente in ſubjecto inhæſionis, eſtque hæc generalis uſurpatio hujus vocis. Denique pro quinto Univerſali.

Definitur autem accidens ſecundo modo à Porphyrio, eſſe id quod adeſt atque abeſt, hoc eſt, ineſt vel non ineſt, videlicet per potentiam, abſque ſubjecti corruptione, eſſentiali nempè; nam amoto accidente, mirum non eſt, accidentaliter corrumpi ſubjectum. Unde patet differentia inter accidens & attributum eſſentiale, quòd hujus abſentia tollat & corrumpat ſubjectum eſſentialiter.

Accidens verò pro quinto Prædicabili ſive Univerſali, definitur, id quod neque genus eſt, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium; ſemper autem, hoc eſt, quamdiu exiſtit accidens, eſt in ſubjecto, videlicet inhæſionis. Eſt enim tanta dependentia accidentis à ſubjecto, ut abſque illo naturaliter ſubſiſtere nequeat. Unde differt à ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe ſubſiſtens, qua de re ☞ vide infrà, *Tit. de nat. accidentis.* E

Divisio.

Accidens in ſua generalitate dividitur in novem Prædicamenta, nempè Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, Paſſionem, Ubi, Quando, Situm, & Habitum; quorum omnium accidens eſt velut magis commune æquivocum, cùm diverſa ratione illa participent naturā accidentis.

Dividitur prætereà accidens in Proprium, & Commune. Proprium eſt id quod omni, ſoli, ſemperque accidit, nempè ſpeciei infimæ, cui ſic convenit plerumque neceſſariò, & æqualiter (emanat namque accidens proprium ex eſſentia, quomodo riſibile à rationali profluit in homine;) ut nulli alteri ſpeciei ab ea realiter diſtinctæ, & conſequenter omnibus illius ſpeciei individuis, idque omni tempore. Accidens autem Commune plerumque contingenter convenit, & inæqualiter participatur, unde & prædicatur cum adverbiis magis & minùs; neque enim profluit ex eſſentia, ſed ſupervenit rei exiſtenti.

Denique accidens aliud eſt ſeparabile: intellige realiter, & F omninò facilè: aliud inſeparabile, quod realiter ſeparari à ſubjecto nequit; mente verò & cogitatione omne accidens à ſubjecto ſeparatur: unde & abeſſe dicitur, nēpè per potentiā, quæ dicat reſpectum ad actum, ſive realem, ſive mentalem.

Natura, & Ratio Accidentis.

Ratio formalis & natura Accidentis conſiſtit in eo, quod eſt eſſe in ſubjecto, id eſt, naturaliter ab eo dependere: ſic enim optimè correſpondet rationi ſubſtantiæ, quæ exprimi ſolet per eſſe per ſe: ergo ratio accidentis rectè exprimitur per eſſe in alio, ſive per aliud: neque enim accidens exiſtit, naturaliter videlicet, niſi inexiſtat: unde & illius exiſtere naturaliter dependet tam in conſervari, quàm fieri, à ſubjecto cui inexiſtit, tanquam cauſæ materiali. Actualis autem inhærentia non eſt de ratione Accidentis, ut ſine qua concipi illud poteſt, & Mathematicis id familiare, accidens à ſubjecto abſtrahere: neque tamen per illam abſtractionem efficiunt falſum, ut docet Ariſtoteles *l.2. Phyſ.c.2.* res autem concipi nequit ſine ſua eſſentia. Deinde in ſacramento Euchariſtiæ, facta transſubſtantione, ſive converſione panis, & vini in corpus & ſanguinem Domini, remanent accidentia panis, & vini abſque ſubjecto, id eſt, abſque G eo quòd actualiter inhæreant ſubjecto, ut fides Catholica credendum proponit; qua de re fusè Scholaſtici, *in Tractatu de eodem Sacramento.*

Acclamatio. Acclamare.

* Definitio & Etymologia.

Acclamatio, Græcis dicitur ἐπιφώνημα, eſt improviſa vocis elatio ex motu aliquo, aut animi paſſione facta, puta gaudio, mœrore, vel rei cujuſpiam novitate; idque varium ob finem, prout variæ ſunt occaſiones, cur alicui acclamationes fiant.

Exempla Biblica.

Chriſto ſedenti ſuper aſinam, & triumphantis in morem Hieroſolymam ingredienti, qui præibant & qui ſequebantur, tenentes ramos palmarum manibus, poſtquam conſimiles unà cum veſtimentis per viam ſtraviſſent, clamabant dicentes: Hoſanna filio David, benedictus qui venit H in nomine Domini. *Matthæi cap.21.*

Eidem templum ingreſſo, & ejiciente vendentes, & ementes ex illo, ac ſanante in eo claudos & cœcos, Pueri acclamarunt, dicentes: Hoſanna filio David; ut adimpleretur illud Davidis: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. *Matth. cap.6.*

Poſtquam Apoſtolus Paulus Lyſtris claudum ex utero matris ſuæ ambulare feciſſet, Turbæ levaverunt vocem ſuam, dicentes Lycaonicè: Dii ſimiles facti hominibus ad nos deſcenderunt. Vigebat enim apud Gentiles opinio, Deos ſe quandoque humana ſpecie exhibere videndos. *Actor. cap.14. v.10.* Unde Paulum vocabant Jovem, Barnabam Mercurium, quia erat dux verbi.

Percuſſo Philiſtæo, cum David caput illius deferret 1. *Reg. c.17.* & ingrederetur Hieruſalem, egreſſæ ſunt Mulieres de univerſis urbibus Iſrael cum choris & tympanis, cantantes & dicentes, Percuſſit Saul mille, & David decem millia.

Sic & Herodi Agrippæ regi in theatro Judęi acclamarunt: Voces Dei & non hominis; qui conſumptus à vermibus mox expiravit. *Actor. cap.12.*

Exem-

A Exempla Historica Eorum, Quibus Acclamatum, v.g. Episcopis.

Cyriacum virum optimum, & ſanctiſſ. in Epiſcopum ordinatum fuiſſe, Mauricius patricius, Petrus, Domitianus, & Elpidius Epiſcopi D. Gregorio Pap. ſignificarunt, quantoque gaudio, & fauſtis acclamationibus exceptus eſſet: inter cætera his quoque vocibus uſos: Sicut ſolem in Eccleſia apparuiſſe, & hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quas quidem acclamationes, ut ſoli Chriſto debitas, Gregorius diſertè, & piè reprehendit, & gaudii immoderationi tantùm tribuit. Quin potiùs in id ſedulò eos incumbere jubet, ut aſſiduis precibus talis, qualem omnes fuiſſe hactenùs ſcirent, permaneret, quàm nimiis blandimentis ad ſuperbiam evectus, ſe ſimul & populum ſibi commiſſum iræ divinæ obnoxium redderet. *Lib.6. epiſt.171.*

Principibus.

Victo Artaxerxe Perſarum Rege ab Alexandro Severo, talis acclamatio Senatus Romani fuit: Alexander Auguſte, B Dii te ſervent. Verè Parthicus, verè Perſicus. Trophæa tua & nos videmus, victorias & nos videmus. Juveni Imperatori, patri patriæ, Pontifici maximo: per te victoriam undique præſumimus: ille vincit, qui milites regit. Dives Senatus, dives miles, dives P. R. *Lampridius in Alexandro Severo.*

Cùm Anaſtaſius Imperatorio habitu ſumpto in circo ſederet, univerſus populus veluti uno ore directè inclamavit: Sicut vixiſti, ita etiam impera domine. Quippè ante galli cantum templum adire ſolebat, ibique dum concio dimitteretur, adſtabat Deum placans, frequenter jejunabat, & ſua pauperibus & medicis erogabat. *Cedrenus.*

* Hoc autem loco obſervari poteſt, fuiſſe olim apud Romanos artem ſingularem acclamandi, & applaudendi, non tantùm in theatris, ſed Principibus quoque, ſic ut ederetur ipſa acclamatione concentus. De qua re legatur *Tacit. lib. 16. Annal.* cum de Nerone ſcribit, *Plinius in Paneg. Trajani, Xiphilinus in Pertinace, Caſſiod. lib.1. Var. epiſt.31. & alii.*

Militibus. Athletis.

C *Eleleu*, acclamatio bellica. Achæus Eretrienſis in Philoctete ſic adhortantem milites Agamemnonem facit: Tempus eſt opem ferre, Dux ego ero: accipiatur gladii capulus manu, tuba alius quamprimùm det ſignum: tempus eſt, accelerare, Eleleu. *Suidas.*

Cum ad Iſthrum pugilum certamen ſpectaret Æſchylus, cognovit, ex duobus concertantibus alteri vehementi impacta plaga ab univerſo theatro maximum edi clamorem: cum tamen percuſſus nil admodùm quereretur. Is admiratus Jonem Chium, qui fortè aſtabat, leniter tangens: Advertis, inquit, quàm efficax meditatio ſit, & conſuetudo? Plagis affectus non clamat, clamant ſpectantes. *Cælius lib.8. c. 7. Antiq. lect. ex Plut. de audiendis poetis.*

Pueris.

D. Auguſt. in lib. Confeſſionum narrat, ſibi etiamnum pueto in ſcholis frequenter acclamatum fuiſſe, ubi Junonis per Maronem in Trojanos ſtomachantis verba, & affectus feliciùs cæteris adumbraſſet.

Ebriis.

Narrat *Athenæus lib.15. Dipnoſ.* cum quiſpiam è con- D vivio diſceſſiſſet probè potus, ac magnoperè ſomnolentus, cæteros convivas in eum acclamaſſe per jocum ἰὴ παιάν.

Calamitosis.

Ἴσσα, id eſt, Iſſa, proverbialis erat acclamatio in eos, quibus ζ littera ſorte cecidiſſet, quique modis omnibus eſſent infortunati. Suidas proverbium citat ex Meſſenia Menandri. Conjectare licet, eam litteram in ſortibus inauſpicatam fuiſſe. *Martianus Capella in nuptiis Philologiæ & Mercurii*, teſtatur, hanc litteram inviſam fuiſſe Appio Claudio, quòd dentes mortui, dum exprimitur, imitetur. *Eraſ. in Adagiis.*

Cur? Causa Honoris.

Cicero l.2. epiſt. ad Atticum ἐπισημασίας vocat plauſus, acclamationes, & ſimilia, quibus populus bonum ſuum animum erga quempiam ſignificaret ſolitus erat, & lætitiam quam ex illius aſpectu caperet, oſtendere. Hoc enim Græci vocant ἐπισημαίνεσθαι. Nonnunquam contigit, ut cum quiſpiam alicui parti multitudinis charus, & acceptus erat, cæteris autem otioſus, & inviſus, partim plauſu exciperetur, partim ſibilo; plaudentibus enim iis, quos aſpectus ipſius hilarabat, cæteri ſibilabant. Ergo Cicero, ut oſtendat ἐπισημασίας E illas ſuas ejuſmodi non fuiſſe, ſed puras omninò, & εἰλικρινεῖς, ait, eas fuiſſe ſine ulla paſtoritia fiſtula; id eſt, ſine ſibilo, cujus ſimilem ſonum notum eſt, è paſtoritiis fiſtulis reddi. Itaque Græci in utroque dicunt συρίζειν: iidemque interdum σύριγγα, id eſt, paſtoritiam fiſtulam pro ſibilo dicunt. *Muret. lib.1. Var. lect. c.19.*

Q. Sertorium, quòd bello Marſico præclara edidiſſet facinora, ingredientem theatrum plauſu excepit, & lætis acclamationibus Pop. Rom. quod quidem non temerè vel honoribus, & ætate provectis deferebat. *Plut. in Sertorio.*

Cyrus urbis Conſtantinopolitanæ præfectus, terreſtrem Conſtantinopolis murum demolitus eſt: aliiſque duobus intervallis aditis, alium murum intra ſexageſimum diem exſtruxit. Cujus operis pulchritudinem, & feſtinatam abſolutionem obſtupeſcens populus, Imperatore Theodoſio in circo ſedente, exclamavit: Conſtantinus condidit, Cyrus inſtauravit. Eapropter in invidiam venit, & Græcis rebus ſtudere per calumniam dictus, publicatis ejus bonis, raſo capite, Smyrnæ Epiſcopus eligitur. *Cedrenus.*

Animandi. F

Clearchus Solenſis l.1. Prov. Latonam ſcribit ex Chalcide Eubœæ in Delphos Apollinem Dianamque portantem, acceſſiſſe ad Pythonis ſerpentis ſpeluncam. Mox cum in eos Python ferretur, Latona alterum puerorum habens in ulnis, ad lapidem acceſſit, qui nunc etiam ſub æreæ Latonæ exſtructæ pede ſpectatur, apud platanum in Delphis. Acclamavit igitur illa, ἰὴ παῖ, ἰὴ παῖ, Feri fili, percute fili. A qua voce deinceps ſacræ acclamationes in Apollinis honorem, epiphymnii loco cœperunt, ἰὼ παιάν. *Athen. lib.15. c.23.*

Adulandi.

Proditum memoriæ eſt, Commodum Cæſarem in æſtuationibus ingens vini poculum hauſiſſe, cunctis acclamantibus: Vive Cæſar.

Justinianus II. Imp. cum ope Trebellis Bulgarorum Regis Conſtantinopolim cuniculis actis recepiſſet, Leontium patricium (à quo ejectus fuerat) & Apſimarum (qui Leontium naribus, & auribus truncatum in monaſterium detruſerat) vinctos in pompa ſibi prædici fecit: eoſdemque pedibus conculcans, acclamante populo: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: G tandem juſſit decollari. *Paul. Diac. l.19.* ☞ *Vide pleraque tit. de Adulat.*

Funeris.

Dicebatur Ilicet in funeribus Rom. conſumpto cadavere, & collectis cineribus. Unde *Virgilius lib.9.*

——— *Dixitque noviſſima verba*

Id eſt, Ilicet. Nam valedicebatur poſt tumuli quoque peracta ſolemnia. Varro dicit, pyras ideò cupreſſo circundari propter gravem uſtrinæ odorem, ne offendatur populi circumſtantis corona, quæ tamdiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ, id eſt, principi planctuum, quandiu conſumpto cadavere, & collectis cineribus, diceretur noviſſimum verbum Ilicet, quod Ire licet, ſignificat. *Servius.*

Acclamare Uxoribus.

P. Scipio Africanus, cùm Tiberio Graccho filiam Corneliam deſpondiſſet, domum reverſus, à veſtibulo Antiſtiam uxorem clamavit, Corneliæ ſe maritum inveniſſe. At illa: Ecquid verò maturato opus erat, niſi fortè illam Tiberio Graccho elocaſti? *Plut.*

Mortuis. H

Plin. l.7. nat. hiſt. inter ademptæ memoriæ exempla commemorat Corvinum Meſſalam oratorem, qui nominis etiam proprii fuerit oblitus, quum id defunctis etiam agnoſci creditum ſit aliquandiu. Atque hinc mos priſcis, priuſquam rogo imponerent cadavera, nomen proprium acclamandi. *Eraſ. in Adag.*

Accommodatio. Accommodare ſe aliis.

* Definitio & Etymologia.

Accommodatio ἐπιτηδειότης Græcè, ſignificat tempeſtivam obſecutionem, factam habita temporis, loci, perſonarumve ratione. Hinc commodum appellamus illum, qui ſe aliorū moribus opportunū, & obſequentē præbet, iiſque ſuos componit. Monet *Ariſtoph. in Plut.* videndum eſſe τρόποις ἐπιχωρίοις, id eſt, moribus regionis & vernaculis. Quò pertinet etiā illud, νόμος ἡ χώρα, id eſt, Lex etiā ipſa regio. Quo ſignificatum eſt, ut annotat *Eraſ. in Adag.* unicuiq; regioni peculiaria eſſe inſtituta, quæ hoſpites non damnare, ſed pro virili

noſtra

A noſtra imitari atque exprimere debeamus. *Clearc. in proverbiis*, teſte *Athenæo*, citat hoc diſtichon, tacito auctoris nomine:

Πυλύποδός μοι τέκνον ἔχων νόον ἀμφίλοχ᾽ ἥρως,
Τοῖσιν ἐφαρμόζων ὧν κε πρὸς δῆμον ἵκῃς, id eſt,
Polypi ingenio mihi ſis nate Amphiloche heros,
Vt temet populo quemcumque acceſſeris aptes.

NON ACCOMMODARE SE ALIIS.

Ex Imperitia.

☞ *Conſule Tit. Theologi vel Oratores inepti.*

Ariſtot. lib. 3. Rhet. admonens, ne orator nimium crebris Entymematibus utatur, ſed tantùm intermiſceat, ſubjicit hoc carmen, Homeri ni fallor, ceu vulgò jactatum:

Πολλ᾽ ἐπεὶ τόσα εἶπες ὅσ᾽ ἂν πεπνυμένος ἀνήρ.

Conveniet in hominem multa loquentem potiùs, quàm opportuna. Τόσα, inquit Ariſtoteles, ἀλλ᾽ οὐ τοιαῦτα, id eſt, tam multa, at non talia. Neque enim perinde refert, quàm multa loquamur, ſed quàm ad rem facientia. Quemadmodum Philoſophus quidam dixit, non eos pro doctis habendos, qui multa didiciſſent, ſed qui utilia. *Eraſm. in Adagiis.*

B

MOROSITATE.

☞ *Vide locum Moroſitatis.*

ACCOMMODATIO. Eaque vel Apta.

Ulysses ab Homero πολύτροπος dictus fuit, quòd verſatili ingenio eſſet, omniumque moribus ſeſe accommodare poſſet. Quam quidem ποικιλότητα Theognis commendat, inquiens: Imitandi ſunt mores eorum, quibuſcum verſamur, quantùm recta ratio permittit. Oderunt enim hilarem triſtes, triſtemque jocoſi. Itaque vir bonus quoad honeſtatis ſtudium, idem ſemper ſit: at pro varietate perſonarum, quibuſcum verſatur, alius atque alius eſſe debet.

Leotychidas primus objicienti, quòd verſatilis eſſet: Pro tempore, inquit: non ut vos, pro veſtra pravitate. *Plut. in Apoph.*

Cleomenes, Rex Spartanorum, diuturno morbo conflictatus, poſtquam piatoribus, & ariolis dedit ſe, à quibus fuerat antè alienus, demiranti cuipiam: Quid miraris? inquit. Neque enim ſum idem, qui ante. Cùm autem idem non ſim, non probo eadem. *Plut. in Apoph.*

C Pelopidas Thebanus nobilis & potens, cùm unum ex amicis, ut in ſortem veniret fortunarum ſuarum, non induxiſſet Epaminondam: ipſe tamen venit in ſocietatem illius paupertatis, veſtis tenuitate, menſæ frugalitate, laborum tolerantia, & in bello ſimplicitate glorians, ut Canopeus apud Euripidem *in Supplic.* cui cùm eſſent opes amplæ, haud proinde animos mox ſuſtulit: imò turpe duxiſſet ſibi, ſi plus corpori, quàm Thebanorum egentiſſimus impendiſſet. *Plutarch. in Pelopida.*

In Alcibiade feliciſſima quædam & admiranda fuit morum & ingenii dexteritas, qui ſic polypum agebat, ut Athenis dicteriis & ſalibus luderet, equos aleret, comiter & eleganter viveret: exul autem, Thebas veniens, adeò ſtudiis eorum inſervivit, ut nemo eum labore corporiſque viribus poſſet æquiparare. Omnes enim Bœotii magis firmitati corporis, quàm ingenii acumini inſerviunt. Idem apud Lacedæmonios, quorum moribus ſumma virtus in patientia ponebatur, ſic duritiei ſe dedidit, ut parſimonia victus atque cultus omnes Lacedæmonios vinceret. Fuit apud Thracas homines vinolentos exul, rebuſque venereis deditos: hos D quoque in his rebus anteceſſit. Venit ad Perſas, apud quos ſumma laus erat fortiter venari, luxurioſè vivere. Horum ſic imitatus eſt conſuetudinem, ut illi ipſi eum in his maximè admirarentur. Quibus rebus effecit, ut apud quoſcumque eſſet, haberetur cariſſimus. *Athenæus lib. 12. cap. 16. & Probus in Alcibiade.* De eo ipſo ſic ſcribit *Plutarchus*: Alcibiades Athenis jocos ciendo, equos ad ſacra certamina alendo, comiter & feſtivè vivendo: Lacedæmone barbam cutetenus radendo, vili pallio ſe amiciendo, balneo utendo gelido: in Thracia belligerando & potando: ut contulit ſe ad Tiſſaphernem, profundendo ſe in luxum, mollitiem & inſolentiam: delinivit & conſuetudine ſua omnes aſſimulando ſe, & ancillando iis cepit. *Comm. de Diſcern. adult.*

Philippus Macedo, qui Chæroneæ multùm inepticbat ex crapula, præbebatque ſe ridiculum, ſimul atque verba apud eum facta ſunt de fœdere & pace, vultum compoſuit, ſupercilia contraxit: vertigineque & impotentia expulſa, providum & ſobrium dedit Athenienſibus reſponſum. *Plut. lib. 7. Quæſt. convival. 10.*

Aristippus nunc ſordido pallio, nunc chlamyde veſtitus E Mileſia, utroque decorum retinuit. *Plutarch. orat. 1. de Alex. fort.* Itaque de illo Lyricus:

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res,
Tentantem majora, ferè præſentibus æquum.

Demetrius Poliorcetes, in pace ebrietati operam dando, & conviviis, ad quæ adhiberentur ſaltationes atque luſus, illum, qui in fabulis traditur olim fuiſſe inter homines Bacchi, morem ſequebatur. In bellis operoſus erat & ſobrius, ita ut ſupra omnes operantes & corpore & animo certatim operaretur. Ab eo enim maxima tela confecta ſunt, & omnis generis machinæ, quæ factas ab aliis machinas longè ſuperarent. Quin & navigia maxima deduxit hic in mare poſt patris Antigoni interitum. *Diodor. lib. 20.*

Philopoemenes Megalopolitanus, in Creta partes ſecutus Gortyniorum, bellum ut Peloponneſius & Arcas ſimpliciter geſſit, & generoſè; ſed mores induens Creticos, eorumque in ipſos technis, dolis, furtis, & inſidiis utens, brevi pueros oſtendit illos eſſe, qui fatuas & inanes adverſus veram belli pueritiam fallacias contechnarentur. Ob hæc celebris & inclytus ex rebus ibi geſtis reverſus in Pelo- F ponneſum eſt. *Plut. in Philop.*

Inepta, Nulla.

Athenæus Platonem negligentiæ inſimulat *in 5. lib.* δειπνοσοφιστῶν, quòd multa peccarit in ſcriptis ſuis contra rationem temporum. *Victor. lib. 21. var. lect. cap. 16.*

Rex Antigonus, cùm Sophiſta neſcio quis commentarios ei occineret de juſtitia: Stolidus es, inquit, qui cùm alienas me urbes cernas machinis quatientem, de juſtitia diſputas. *Plut. orat. 1. §. de Alex. fort. vel virtut.*

De Ephori Theopompi, & Anaximenis theoricis ornamentis & circuitibus, quibus armantes copias & aciem inſtruentes utuntur, dicas licet:

Has inter arma nemo nugas quiſquam agit.

Plutarchus in Præceptis politicis.

Cicero *in 5. lib. Tuſcul. quæſt. de vita beata* diſputans, docenſque, in ſummis opibus injuſtèque parto imperio illam poſitam non eſſe: atque id exemplo Dionyſii Syracuſano- G rum tyranni confirmans, inſerit in hunc ſermonem, diligentia ſua quondam indagatum eſſe ſepulchrum Archimedis, quod cives ipſius ignorabant: omniaque ſummo ſtudio narrat, quæ, quamvis cognitu indigna non ſint, illi tamen loco non congruebant; ſed liquidò intelliguntur à nimio ſtudio Ciceronis rerum ſuarum celebrandarum profecta. Quæ enim à Salluſtio *in lib. de bello Iugurthæ* traduntur de Philenorum aris, nullo modo illic neceſſaria fuiſſe cognoſcuntur. Sed ea de cauſa tam vetuſta res, & quæ fabulæ ſimilitudinem habebat, expoſita, quia cùm eò anteà ipſe per Leptitanorum negotia veniſſet, ac lacum ipſum ſpectaſſet, in quo magnum illud ac memorabile facinus factum fuiſſet: firmiter id animo ipſius hæſerat, atque ideò etiam aliis notum eſſe voluit. *Victor. lib. 10. var. lect. cap. 23.*

Cheronensis quidam, qui fortè duo vel tria Ephori volumina legerat, omnes mortales fatigabat, totumque conturbabat convivium, aſſiduè pugnam Leuctricam & conſequentia narrans: unde cognomen traxit Epaminondæ. *Plutarchus de Garrulitate.*

Accommodari ſe aliorum orationi, moribus.

Parthenopæus, Athalantæ F. Arcas, Argos veniens, H moribus ejus civitatis per omnia ſeſe accommodaſſe, narratur apud *Æſchilum in Septem.*

Aristoclidem Æginetam *Ode 7. Numerorum Pindarus* celebrat à manſuetudine & facilitate, qua ſe omnibus accommodaret:

Ἐν παισὶ νέοισι, παῖς· ἐν
Δ᾽ ἀνδράσιν, ἀνήρ. τρίτον,
Ἐν παλαιτέροισι·
Μέρος ἕκαστον οἷον ἔχομεν
Βρότεον ἔθνος. ἐλᾷ δὲ καὶ τέσ-
σαρας ἀρετὰς θνατὸς αἰών· φρονεῖν
Δ᾽ ἐνέπει τὸ παρακείμενον.

Inter pueros puer, inter viros verò vir, tertiò verò inter ſenes ſenex, quales partes omnes habemus gens mortalium. Producit autem quatuor virtutes vita moralis: curare verò jubet quod præſens, ſuprà jam tres dictas.

Augu-

A Augustus, quia Mecœnatem ſuum noverat eſſe ſtylo remiſſo, molli & diſſoluto, talem ſe in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, ſæpiùs exhibebat. Et contra caſtigationem loquendi, quam aliàs ille ſcribendo ſervabat, in epiſtola ad Mecœnatem familiari, plura in jocos effuſa ſubtexuit: Vale mel gentium, melcule, ebur ex Hetruria, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum ſmaragde, jaſpis figulorum, berylle Perſennæ, carbunculum habens: ἵνα συντέμω πάντα μαλάγματα mœchatum. *Macrob. lib. 2. cap. 4. Saturn.*

Tiberius Cæſar duos familiariùs à ſe dilectos, omnium horarum amicos vocare ſolebat. *Eraſm. lib. 6. Apoph.*

C. Publicius ſolitus eſt dicere, P. Mummium cujuſvis temporis hominem eſſe: ſentiens illum dexteritate facilitateque ad omnem vitæ ſtatum eſſe accommodum.

Leo X. Pontif. componebat vocem, vultum geſtumque in omni occaſione negotii aptiſſimè atque celerrimè, transferebatque mores ad perſonam, divina quadam præſenſione petentium voci occurrens. *Iovius in Leone.*

B

Accuſatio. Acccuſare.

* Definitio & Etymologia.

Accusatio, Græcè κατηγορία, eſt delatio Rei de crimine, ad vindictam publicam, libello facta. Ita Sylveſter ex Azone. Finis namque illius eſt vindicta publica ad exemplum populi, ut omnes ab hujuſmodi criminibus ſibi caveant. Volunt quidam dici Accuſatorem quaſi Adcauſatorem, ait *Iſidorus lib. 18. Origin.* quòd velut ad cauſam vocet illum quem appellat. Hebraicè Sitnah, à verbo Sithan, accuſavit, adverſatus eſt.

* AD ACCUSATIONEM REQUISITA.

Ad accuſationem jure communi requiruntur ſex. Primò ut fiat in ſcriptis.

Secundò, ut exprimatur dies & annus quo intentatur.

Tertiò, nomen accuſatoris & accuſati.

C Quartò, ſpecies delicti.

Quintò, locus, & etiam tempus, nempè annus & menſis, quo delictum commiſſum eſt.

Sextò, inſcriptio accuſantis. Colligitur ex *l. libellorum 3. §. 1. ff. de accuſationibus.* Ubi in formula hæc omnia ponuntur, & deinde additur: Quòd ſi libelli inſcriptionum legitimè ordinati non fuerint, rei nomen aboletur, & ex integro repetendi rerum poteſtas erit; quibus verbis vult, hæc ita pertinere ad formam accuſationis, ut ſi omiſſa fuerint, totus proceſſus ſit irritus, & accuſator damnandus ſit in expenſas: quamvis jus habeat rurſus, de novo ſuam accuſationem inſtituendi.

Primum tamen requiſitum, ut & ſecundum, modò non eſt ſemper neceſſarium: neque etiam ſextum uſu receptum in foro ſæculari. In Eccleſiaſtico obtinere debet, ut conſtat *c. qualiter, & quando 2. de accuſation.*

ACCUSATORES, DELATORES.

QUI.

Athenis in foro, ubi cauſæ agebantur, Lycus quidam genius ſculptus ſtabat, lupina ſpecie. Apud hanc ſtatuam Sy- D cophantæ pecunia corrupti verſari conſueverunt, velut apud Deum quempiam ſui quæſtus præſidem, eique in dies ſingulos triobolus ſecabatur. Auctor *Zenodotus*, quamquam attigit & *Heſychius*. *Suidas* addit, Sycophantas fuiſſe decem numero, veluti decem viros referentes.

Erat hoc quæſtus genus apud veteres inviſiſſimum, eorum qui in jus vocabant, ut ex damnato dicta multa portionem aliquam præmii locum ferrent. Unde & Sectores dicti ſunt, & Quadruplatores. *Eraſmus in Adagiis.*

QUOS. Puta

Probos, Innocentes.

Fimbria homo longè audaciſſimus, & quod inter omnes conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoque inſaniunt, inſaniſſimus, cùm curaſſet in funere C. Marii, ut Q. Scævola vulneraretur, diem Scævolæ dixit, poſteaquam comperit eum poſſe vivere. Cùm ab eo quæreretur, quis tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quiſquam ſatis commodè poſſet? ajunt, hominem (ut erat furioſus) reſpondiſſe, quòd non totum telum corpore recepiſſet. *Cicero pro S. Roſcio Ammerin.*

Abſentes. E

Adnotari dicitur, qui abſens in reos refertur: nam in gravioribus criminibus magiſtratus, qui abſentem in reos recipiebat, edicta proponebat, quibus illi denunciabat fore, ut niſi intra annum adeſſet, ejus bona confiſcarentur: uti *Martianus* docet *l. 1. & l. 2. ff. de requir. vel abſent.* Hinc adnotatio, *apud Marcum in l. 4. eod. tit.* illa in reos relatio. *Hot. com. ver. juris.*

QUID.

Fama eſt τὸν ἀλιτήριον, id eſt, quadruplatorem vel delatorem, ex ſedulitate nomen inveniſſe primùm. Nam cùm Athenis fame laboraretur, nec quibus triticum eſſet, id in medium afferrent, ſed ſilentio & nocte domi molerent, quod Græcè ἀλεῖν dicitur, circumverſantes captabant molarum ſtrepitum. Hinc ἀλιτήριοι ſunt nominati. Proinde inveniſſe ſycophantam nomen volunt. Siquidem cùm exportare vetitum eſſet ficos, qui indicabant & deferebant exportantes, ſycophantæ vocati ſunt. *Plut. de Curioſitate.*

QUOMODO.

Scripto.

Apud Scotos eſt conſuetudo (quæ Mediolani eſt rece- F pta, indictum vocant) ut in cavum truncum, qui in Eccleſia eſt, liceat cuique chartulam injicere, nomen Magi, rem geſtam, locum, tempus, & teſtes exponentem. Is truncus, præſente Judice, Procuratore item Regis aut fiſci (quibus ſingulis una clavis trunci, bina ſera occluſi, commiſſa eſt) quindeno quoque die reſeratur, ut clàm de iis inquiratur, quorum deprehenſa fuerint nomina. *Bodinus lib. 4. Dæmon. cap. 1.*

Voce viva.

☞ *Ex præcedentibus quædam.*

UBI.

In judicio.

Lustricus Bructianus, cùm Montanum Atticinum comitem ſuum in multis flagitiis deprehendiſſet, ad Trajanum Cæſarem accuſavit. Atticinus contrà & Bructianum Præſidem ſuum accuſabat. Etſi in odium prioris accuſationis id facere videretur, atque recriminando magis, quàm accuſando: tamen recepta cognitio eſt, amboque ſimul & cauſam dicere, & accuſare juſſi; ita enim viſum eſt potentiam Præſidis, comiti ſuo in accuſando non nocere, & æquiore judi- G cio certari inter ſummam, & humilem perſonam, ſi ambo rei, ambo accuſatores eſſent. *P. Ærodius ex Plinio lib. 6. Epiſtolarum.*

CUR. Causa

Patriæ.

Lex quædam Charondæ Thurii ſtatuit, ne indicare homines affines alicui culpæ haberet in ſe dedecus ac turpitudinem ullam apud Locrenſes, voluitque, nomina eorum deferre, qui injuſtè aliquid feciſſent, honeſtum eſſe: purumque etiam ac pium illum haberi, qui ſecum etiam ſanguine maximè conjunctos, & omni denique neceſſitudine copulatos, indicaſſet; cujus ſententiæ ſuæ rationem hanc reddidit: dixitque nihil eſſe tam neceſſarium nobis, quàm patriam. *Victorius lib. 26. var. lect. cap. 1.*

Vindictæ.

Nero Cæſar intimos & familiares quoſque curavit interfici ex ſermone morientium, qui tamen nihil aliud inter moriendum ſpectabant, quàm ut de adverſariis ultionem H ſumerent. *Bodinus lib. 4. Dæmon. c. 4.*

Præmii. Quadruplatores.

Feſtus, Atticos quondam juvenes ſolitos, ait, in hortos irrumpere, ficoſque delegere. Quam ob cauſam lege eſt conſtitutum, qui id feciſſet, capite truncaretur. Quam pœnam qui perſequerentur ob parvula detrimenta, Sycophantas appellatos.

Quadruplatores, inquit Pedianus, accuſatores ſive delatores publicorum criminum, ſub pœna quadrupli: ſive quòd ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſaverant, quartam partem conſequebantur. *Hotom. de verb. juris.*

Lege Pia, certa delatoribus præmia conſtituta ſunt. Nam quũ facinoroſi, & perditi homines clandeſtina facinora admitterent, quæ ad aliorum perniciem, & commune tendebãt exitium: utileque videretur, plures delatores eſſe, qui offenſas ſpecularentur in principe: ne quid impunè perditiſſimi homines moliri poſſent, delatoribus certa præmia conſtituit: eaque quũ dimidium illatæ multæ antea fuiſſent, Nero princeps delatorum licentiam volens cõprimere, eadem præmia

ad

ad quas revocavit; quare quadruplatores dicti, quòd quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, conſequerentur. *Alex. lib.4. cap.22.*

APOPHTHEGMATA.

DEMOSTHENES, juſſus ab Athenienſibus, ut quendam accuſaret, recuſavit; ſed facta in eum populi acclamatione, ſurgens dixit, Vos me, viri Athenienſes, conſultorem habebitis etiam inviti: calumniatorem verò, ne ſi velitis quidem. *Bruſon. lib.1. cap.6.*

CICERO in Cælium meliùs diſſerentem ac accuſantem, quàm defendentem crimina, urbaniſſimè bonam dexteram, malam verò Cælium ſiniſtram habere dicebat. *Bruſ. l.1. cap.16.*

M. CRASSUS, cum levi de cauſa nunc accuſator, nunc patronus in una eademque cauſa eſſet; Sicinius homo mordaciſſimus interrogatus, cur Craſſum non ob id reprehenderet? Non facio, inquit, quandoquidem fœnum in cornu habet. *Bruſon. lib.1. cap.6. ex Plut.*

Martial. lib. Spectaculorum, ad Cæſarem, quòd expulerit delatores. *Epi.4.*

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes.
Traducta eſt Getulis, nec cepit Arona nocentes:
Et delator habet, quod dabat exilium.
Exulat Auſonia profugus delator ab urbe:
Impenſis vitam principis annumeres.

Idem *Martialis* in Vacerram delatorem *lib.* 11. *Epi.67.*

Et delator es, & calumniator,
Et fundator es, & negotiator:
Et fallator es, & laniſta: miror
Quare non habeat, Vacerra, nummos.

* HIEROGLYPHICA.

Apud *Ciceronem in oratione pro S. Roſcio*: Anſerem invenies pro accuſatore Hieroglyphicè poſitum, qui obſtrepat tantùm, noceat tamen nihil. Cum canis non tantùm allatret, ſed etiam mordeat. Ejus verba ſunt non importunè repetenda. Anſeribus cibaria publicè locantur, & Canes aluntur in Capitolio, ut ſignificent, ſi fures venerint: at fures internoſcere non poſſunt, ſignificant tamen, ſi qui noctu in Capitolium venerint; & quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi beſtiæ ſunt, in eam partem potiùs peccant, quæ eſt cautior. Quòd ſi luce quoque canes latrent, cum Deos ſalutatum aliqui venerint, opinor hi crura ſuffringantur, quòd acres ſint etiam tum cum ſuſpicio nulla ſit. Simillima eſt accuſatorum ratio: alii veſtrum Anſeres ſunt, qui tantùmmodò clamant, & nocere non poſſunt: alii canes, qui latrant & nocere poſſunt. *Pier. Valer. lib.24. fol.226.*

* ACCUSATIO FALSA.

JOSEPH à Putipharis uxore falſis criminationibus delatus in carcerem conjicitur. *Geneſ.39.*

AMAN Aggagites calumniis ſuis Mardochæo, & univerſæ Judæorum genti exitium parere meditatur; ſed in ejus caput quod inſontibus parabat, redundavit. Nam in crucem, quam Mardochæo extruxerat, cum liberis ſuis ſublatus eſt, boniſque omnibus ac poſſeſſionibus exutus. Dignitate ejus Mardochæus potitur, bonis Eſther. *Eſther cap.3.*

Malevolorum hominum calumniis Principes, & ſatrapæ apud Regem Darium efficiunt, ut Daniel in lacum leonum conjiceretur, ubi divino numine inter famelicos leones conſervatus eſt, ipſoque educto, accuſatores ejus in lacum miſſi ſunt, ipſi, & filii, & uxores eorum, quos leones protinùs arripuerunt, & oſſa eorum comminuerunt. *Dan.6.*

SUSANNA calumniam paſſa eſt à ſenioribus, & ipſi lapidibus obruti. *Daniel.12.*

EXEMPLA HISTORICA.

☞ *Require locum de Injuria.*

Anno Domini 699. puer quidam ex inceſtu genitus, Romani Pontificis Sergii ſecundi famam nonnihil contaminavit, quòd vulgus (ut fieri ſolet) ſparſo rumore vano, malè perſuaſus, eum Pontificem habere Patrem exiſtimaret. Anxius igitur Althelmus Schireburgenſis Epiſcop. (quem tum Sergius ejus virtutibus captus in urbem vocaverat) multùmque dolens, Pontificem haud vulgari amicitia ſibi devinctum, ejuſmodi infamia fœdari, puerum nonniſi novem habentem dies exhiberi jubet, eique in virtute, & nomine Jeſu Chriſti imperat, ut edicat, num Sergius Pontifex eo ſe ſcelere obſtrinxerit. Reſpondit infans abſolutiſſimo ſermone, Pontificem nequaquam illi crimini affinem eſſe, nihil eum cum fœmineo ſexu commercii habere. Atque ita Althelmus, & ab amico Pontifice depulit infamiam, & ſibi gratiam cumulavit. *Baron. tom.8. ann.699.*

MATHILDIS Beatricis Tuſciæ Duciſſæ filia, vivente adhuc viro ſuo, quandam viduitatis ſpeciem longiſſimis ab eo ſpatiis excluſa prætendebat, cùm nec ipſa maritum in Lotharingiam extra natale ſolum ſequi vellet, & ille Ducatus, quem in Lotharingia adminiſtrabat, negotiis implicitus, vix poſt tertium & quartum annum ſemel Marcham Italicam inviſeret. Poſt cujus mortem Romani Pontificis lateri penè comes individua adhærebat, eumque miro colebat affectu: cumque magna pars Italiæ ejus pareret imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, ſupra cæteros terræ illius Principes abundaret, ubicumque opera ejus Papa indiguiſſet, ocyùs aderat, & tanquam patri, vel domino ſedulum exhibebat officium. Unde nec evadere potuit inceſti amoris ſuſpicionem, paſſim jactantibus Regis fautoribus, & præcipuè clericis, quibus illicita & contra ſcita Canonum contracta conjugia prohibebat, quòd die ac nocte impudenter Papa ejus volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus præoccupata, poſt amiſſum conjugem, ultrà ſecundas contrahere nuptias detractaret. Sed apud omnes ſanum aliquid ſapientes, luce clariùs conſtabat, falſa eſſe, quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximiè, tamque Apoſtolicè vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret; & illa in Urbe celeberrima, atque in tanta obſequentium frequentia obſcenum aliquid perpetrans latere nequaquam potuiſſet. Signa etiam, & prodigia, quæ per orationes Papæ frequentiùs fiebant, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo, & pro Eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. *Lamb. Schafnaburgenſ. ad annum* 1077.

ATHANASIUS Alexandrinus, Catholicæ religionis propugnator acerrimus, ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino Diaconus factus eſt; in cujus locum ſucceſſit, quem antea etiam ſecutus fuerat ad Nicænum Concilium, ubi cum Arii impietatem repreſſiſſet, tantum odium Arianorum ſuſcepit, ut eo tempore ei inſidias moliri nunquam deſtiterint. Nam coacto ad Tyrum Concilio, magna ex parte Arianorum Epiſcoporum, ſubornarunt mulierculam, quæ accuſaret Athanaſium, quòd hoſpitio acceptus ſibi ſtuprum per vim intuliſſet. Introductus igitur eſt Athanaſius, & unà cum eo Timotheus presbyter, qui ſimulans ſe eſſe Athanaſium: Egone, inquit mulier, apud te ſum diverſatus? ego te violavi? Cui illa petulanter: Tu mihi vim intuliſti; idque jurejurando affirmans, Judicum fidem obteſtabatur, ut tantum flagitium vindicarent. Qua cognita fraude, rejecta eſt mulieris impudentia. Arſenium quoque Epiſcopum ab Athanaſio interfectum Ariani pervulgarunt, quem dum occultè detinent, manum mortui deferunt in judicium, ab Athanaſio ad uſum magicæ artis Arſenio amputatam criminantes. At Arſenius noctu aufugiens, cùm ſe in conſpectu totius Concilii ſtatuiſſet, Athanaſii inimicorum impudentiſſimum ſcelus aperuit. Quod illi nihilominùs magicis artibus Athanaſii tribuentes, vitæ ejus inſidiari non deſiſtebant. Quamobrem in exilium actus, in Gallia apud Treviros exulavit. *Breviar. Rom.*

Accuſatio falſa divinitùs detecta.

MARTIANUM celebrem illum Romanorum Imperatorem, natione Thracem, militaris viri filium, in medium adducam. Hic quoniam ad id vitæ genus aſpirabat, quo pater uſus fuerat, Philippopolim venit, ubi etiam militaribus ordinibus adjunctus eſt. In itinere autem hominem recèns interemptum, ac in terra projectum vidit, ſtanſque juxta illum (erat enim admodùm bonus & humaniſſimus) commiſeratione ejus, quod acciderat, afficiebatur, diuque ne progrederetur, detinebatur, cupiens occiſo, quæ juſta erant, præſtare. Hoc quum aliqui vidiſſent, detulerunt illum ad Magiſtratus Philippopolitanos, qui comprehenſum Martianum ad quæſtionem homicidii rapuerunt. Et cùm conjecturæ, & probabilia indicia ipſi veritati, & linguæ viri homicidium negantis prævalerent, ac jam homicidii pœnas daturus eſſet, divino nutu factum eſt, ut ipſo homicida tradito, & ut pœnas facinoris daret, decollato, Martianus capitis truncationem evaſerit. Ad eum modum præter expectationem ſervatus, ad militarem, quendam illic ordinem venit, ut in eo militiæ nomen daret. Illi virum admirati, magnumque & admodùm in pretio futurum haud immeritò conjicientes, recipiunt eum percupidè, & in album ſuum conſcribunt. *Evag. lib.2. hiſt. Eccl. cap.2.*

PALLADIUS vir celebris vitam amplexus ſolitariam, incluſus erat in quadam domuncula, quæ erat propinqua vico maximo & frequentiſſimo, cui nomen Jemme. Hic locus innumeros undique attrahit mercatores. In eo quidam mercator, iis quæ attulerat venditis, & auro coacto, noctu voluit recedere. Quidam autem homicida, qui aurum illic collectum aſpexerat, œſtro quodam & furore percitus, ſomno depulſo, obſervabat, quando vir ille eſſet profecturus. Poſt galli autem cantum, ille quidem abibat ſecurus; hic autem præveniens, cùm quendam locum aptum inſidiis occupaſſet, repentè adortus eum & percuſſit, & cædem fecit. Execrando autem facinori impium quoque aliud factum adjecit: nam cùm aurum cepiſſet, mortuum illud corpus projecit ad oſtium Palladii. Cùm autem dies veniſſet, & fama pervaſiſſet, & totus hominum conventus de eo, quod factum erat, paſſim loqueretur, concurrerunt omnes & effracto oſtio, cædis factæ pœnam exigere volebant à divino Palladio. Unus autem ex iis, qui hoc faciebant, erat is qui ſua manu cædem fecerat. Cùm ergo vir Dei circumſideretur à tanta multitudine, cœlum intuens, & mente cœlum ſuperans, ſupplicavit Domino, ut calumniæ mendacium refelleret, & veritatem, quæ latebat, oſtenderet. Cùm ſic oraſſet, & jacentis manum prehendiſſet; Dic, inquit, ò adoleſcens, quis hanc tibi plagam intulit? Oſtende, quis hoc execrandum facinus admiſerit: & libera innocentem ab hac improba calumnia. Sermonem ſermo eſt conſecutus. Homo autem ſedens circumſpiciebat quidem eos qui accedebant, digito autem oſtendebat homicidam. Clamor ſublatus eſt ab omnibus, & miraculum ſtupentibus, & calumniam, quæ fuerat intentata, deflentibus. Cùm autem ſceleratum exuiſſent, & gladium invenerunt adhuc cruentum ſanguine, & aurum illud, quod cædis cauſam dederat. Divinus autem Palladius, cùm priùs fuiſſet admirabilis, hinc meritò evaſit longè admirabilior: ſufficiebat enim hoc miraculum ad viri oſtendendam apud Deum fiduciam. *Theodor. in hiſt. SS. PP. c.7.*

Falſæ accuſationis probatio.

Scribit S. Hieronymus, Mulierem quandam Vercellenſem adulterii inſimulatam, juvenem autem, qui reus ejus criminis fuerat delatus, tormentorum vi adactum, crimen Judici fuiſſe confeſſum, mulierem verò innocentem ſemper conſtantem fuiſſe. Sumpto igitur de confitente juvene ſupplicio, mulier gladio, qui acie acutiſſima erat, ſepties icta nunquam lædi potuit. Carnifex, ne gladii hebetudine id fortè accidiſſet, gladii cuſpidem admovit, ut quod collum ſecare non valuiſſet, proferendo jugulum eam interimeret. Mirum, gladius reflexus eſt, & velut dominum ſuum victum aſpiciens, confeſſus ſe eam ferire non poſſe, quæ non deliquiſſet. Interim cùm mori, defeſſa laboribus, ipſa videretur, ad ſepulchrum illata eſt: verùm, reſumptis viribus, vivere comperta eſt, illæſo corpore: ac ne ſupereſſet iniquo judici torquendi, aut potiùs occidendi facultas, ea ipſa die comperta eſt defuncta quædam alia mulier, quæ Eccleſiæ ſumptibus vivebat, & illa ſepulchro illata eſt. Judice igitur quærente, an illa adhuc viveret, oſtenſo recenti ſepulchro, ab omni deinceps adverſus illam conatu deſtitit. Superata itaque ferri utraque acie, bona mulier, illuſis etiam lictoribus, ſimul & judice, aliquandiu ſupervixit. *Lib. 1. Epiſt. ad Innoc. Pap. Baron. tom. 4. an. 367. n. 23.*

☞ *Vide Probæ per ferrum candens.*

* FALSO ACCUSANTIUM POENÆ.

Exempla S. Scripturæ habes in Aman, *Eſther.* 3. Accuſatoribus Danielis, & Suſannæ, *Daniel.6. &* 10. Alcimo, *l.1. Machab. c.7. & 9.*

EXEMPLA HISTORICA.

Sixtus III. Pontificatum iniens, à Baſſo quodam reus in judicium accerſitur. Hic autem congregata ſeptem & quinquaginta Epiſcoporum Synodo, ita cauſam dixit, ut ab omnibus uno conſenſu abſolveretur. Damnatur itaque Baſſus calumniator iniquus, annuente Valentiniano Imp. & Placidia ejus matre, in exiliumque mittitur; ita tamen ut ultimo die viaticum ei ob pietatem Eccleſiæ non negaretur. Ejus autem prædia non fiſco, ſed Eccleſiæ aſcribuntur. Ajunt, Baſſum poſt exilium non multum vixiſſe; tertio enim menſe diem extremum objit. Cujus corpus Sixtus Epiſcopus linteaminibus involutum, & aromatibus conſperſum, propriis manibus ad ſanctum Petrum ſepelivit in loculis parentum. *Platina in Sixto IV.*

Conſtantinus magnus Imp. Fauſtam uxorem habuit. Hæc Criſpi privigni amore capta, cùm ad libidinem ſæpiùs eum provocaſſet, renuentem detulit ad maritum, illum ſibi vim inferre voluiſſe. Conſtantinus fidem adhibuit, ideòque Criſpum filium ſuum propria manu interfecit. Verùm poſt aliquot annos comperta cauſa, & in uxorem capite animadvertit. *Eutrop. lib.10. rer. Rom. Niceph. lib.7. c.35.*

MAXIMINUS Imp. cùm novas leges adverſus Chriſtum & Chriſtianos æreis tabulis incidi, & ſingulis quibuſque civitatibus proponi juſſiſſet, in his jactanter ſatis & ſuperbè propoſuit, quòd ex quo Chriſtiani ſedibus ſuis urbibuſque pelluntur, & aeris eſſet læta temperies, & terræ fœcunditas abundantior, ac ſegetum copia uberior. Sed poſtquam nihil reliqui apud homines rebus noſtris ſupereſſe viſum eſt, omnipotentis Dei providentia imbecilles hominum mentes periclitari ipſa deſperatione non patitur. Continuò namque, nec mora, dum adhuc per aliquas longiùs poſitas civitates impia mitterentur edicta, arrogantiam tyrannicæ vocis refrenans, quæ lætas ſegetes pro Chriſtianorum fuga, & uberes frugibus deſcripſerat campos, imbres reſtringit in nubibus, & effœtas arida ſterilitate ſegetes derelinquit. Areſcit etiam herba camporum, & non ſolùm hominibus fructum, verùm etiam pecudibus pabulum negat, fameſque tetra, & obſcœna ubique graſſatur. Aeris quoque temperies, quam ſuis impiis actibus deſcripſerat famulari, in tantam corruptionem verſa eſt, ut humana corpora ulceribus peſſimis, quæ ignis ſacer appellantur, nec non de his, qui dicuntur carbunculi, replerentur, ita ut ora hominum atque oculos occuparent, ut ſi quis fortè ex his effugiſſet mortem, luminibus orbaretur. Sed & aliis nihilominùs peſtilentibus morbis virorum & mulierum immenſæ multitudines, & præcipuè infantium, acervatim cadebant. *Euſeb. lib.9. hiſt. c.6. & 7.*

In vita S. Narciſſi Epiſc. Hieroſolymorum, iſtud memoria dignum inter alia ſcribit Euſebius: Cùm quidam nequam perditi homunciones gravem & ſeveram eam rationem, qua per univerſam vitam, tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitiis corrigendis uti conſuevit, neutiquam ferre poſſent; præ metu, ne ipſi propter infinita ſcelera, quorum ſibi ipſis conſcii erant, ab ipſo indicati pœnas luerent, cœperunt contra illum conſutis dolis conſpirare, ac turpem quandam criminationis calumniam in eum conjicere: deinde, quò magis auditoribus criminationis falſo objectæ fidem facerent, eam jurejurando confirmare, atque unus ſic dejerare: Si non verè dixerim, opto, ut ignis incendio miſerè diſpeream. Alter verò ſic: Si non verè dixerim, opto, ut ſævo ac fœdo morbo corpus abſumatur. Tertius autem hoc modo: Opto, ſi non verè dixerim, ut luminibus penitùs orbatus ſim. Verùm quamvis nemo ex fidelibus, propter nobilitatem & teſtatam inter omnes omnino Narciſſi caſtimoniam, atque adeò ob vitæ rationem ex virtutis regula traductam, illis, vel graviſſimo jurejurando ſe obſtringentibus, animum, aut fidem adhibuerit: ille ipſe tamen partim præ indignatione falsò objectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in ſapientiæ, ac virtutis ſtudio degendæ, quam jam diu optaverat, ab oculis univerſæ multitudinis ſe penitùs removit, & in ſolitudine lociſque deſertis ad multorum annorum ſpatium vitam tranſegit. Verùm ſublimis ille divinæ juſtitiæ ultioniſque obtutus his ſceleribus patratis minimè acquievit: ſed quàm celerrimè impios illos, & nequam homines, qui inter jurandum tam diris execrationibus ſe contra ſe ipſos obligaſſent, gravibus calamitatibus oppreſſit. Primus igitur illorum, ſcintilla perexigua noctu in ædes, in quibus habitabat, ex nulla cauſa antegreſſa, ſubitò ruente, miſerè cum tota familia, ſuaque ſtirpe rapido flammarum ardore omninò conflagravit. Alterius corpus eodem morbo, quem ſibi tanquam mulctam fore imprecatus eſſet, ab extremis pedum digitis ad caput uſque infectum contabuit. Tertius ærumnoſos priorum eventus aſpiciens, & Dei, qui oculis omnia intuetur, inevitabilem ultionem admodùm reformidans, palàm inter omnes maleficia communiter à ſe, ſuiſque ſociis per fraudem contra Narciſſum admiſſa confeſſus eſt: ſed tamen dum pro delicto graviſſimè condoleſcebat, tantis tamque acerbis lamentis ſe afflictavit, & uſque eò lacrymas effundere non deſtitit, quoad utrumque oculum ſibi penitùs extinxiſſet. Atque hi pro criminatione falsò contra Narciſſum conficta tales pœnas perſolverunt. *Euſeb. Cæſarienſ. lib.6. cap.6. Nicephor. lib.5. c.9.*

Cum Gregor. Thaumaturgus degeret in Ægypto in magna Alexandri urbe, in quam ex omnibus partibus philoſophiæ, ac medicinæ ſtudioſa juventus confluebat, moleſtum

A ſpectaculum erat æqualibus adoleſcens ſupra ætatem ſobrietate ſapientiaque ornatus: ejus enim vitæ puritatis, & integritatis laus, impurorum probrum erat, & dedecus. Ut igitur aliquam excuſationem intemperantes & libidinoſi haberent, ſi ipſi non ſoli tales eſſe viderentur: inſidias comminiſcuntur, & vafrum quoddam conſilium excogitant, ut aliquam notam & maculam magni illius viri vitæ inurant. Ac producitur ab his, qui illum calumniabantur, muliercula meretrix, quæ corpore quæſtum faceret, infamia irrogata, ex carcere dimiſſa. Cùmque ille pro conſuetudine cum viris doctis, atque delectis, in habitu gravi, & honeſto de quadam quæſtione philoſophica diſputaret, unâque ſe cum illis exerceret: muliercula accedit ineptis geſtibus formam oſtentans, & mollitiem, luxumque præſeferens, & per omnia quæ dicebat & faciebat, ſeſe conſueſcere cum eo ſimulans: tandem dicebat, ſe mercedibus fraudatam eſſe. At cùm illi, qui ejus vitæ puritatem & continentiam non ignorabant, indignarentur, & ira adverſus mulierculam commoverentur; ipſe neque unà perturbatus eſt cum iis, qui ipſius nomine ſtomachabantur; neque quidquam hujuſmodi dixit, B cùm calumniis premeretur, quale pronunciare par eſſet eum, qui graviter, moleſtèque rem ferret: non teſtes vitæ advocavit, non jurejurando probrum à ſe rejecit, non malitiam eorum, qui hæc adverſus eum machinati erant, convicit: ſed ſubmiſſa atque ſedata voce converſus ad quendam familiarem; Heus tu, inquit, numera ei pecuniam, ne diutiùs importunitate ſua propoſitæ quæſtionis tractatum conturbet. Cùm autem is, cui hoc injungebatur, à meretricula ſciſcitatus, quantam pecuniam ab illo poſceret, ſine mora omnem adnumeraſſet, atque ab laſcivis & protervis adverſus ſobrium & continentem inſidiæ peractæ eſſent, & jam in manibus illius infamis lucrum eſſet; tunc divinitùs & continentia adoleſcentis probatur, & calumnia æqualium patefit. Simul enim atque pecuniam accepit, ſpiritu infelici, atque maligno correpta, fremituque immani atque ferali diverſo à voce humana ſono ingemiſcens, collocatur prona in medio cœtu congregatorum, ſpectaculum horrendum atque terribile præſentibus repentè facta, cùm & capillus, quem ſuis manibus vellebat, dilaceratus atque diſiectus, & oculi inverſi eſſent, & os ſpumas emitteret. At non priùs à C dæmonio ſuffocari deſiit, quàm Magnus ille Gregorius Deum pro ea invocaſſet, atque placaſſet. *Greg. Nyſſen. in vita. Baron. tom. 2. ad ann. Domini* 233. *n.* 9. 10.

B. Maria, vulgò dicta Doloroſa, triplicem coronam, voluntariæ paupertatis, caſtitatis, & martyrii, eſt conſecuta. Cùm enim voto paupertatis voluntariæ & perpetuæ caſtitatis adornata, per annos multos panem ſuum laborioſè manducaret, contigit impudicum virum eam adamare: & cùm caſtitatem ſuam, quam Deo, & B. Mariæ voverat, pollui non ſineret, is Virginem de furto argentei ſcyphi falsò accuſavit, & tantum egit apud villicum, ut innocenter ſit terræ defoſſa, & ſude tranſverberata, circa annum 1290. Quanti autem meriti ſit apud Deum, teſtantur miracula. Nam & ante mortem, pro viſitaturis memoriam Deiparæ Virginis in loco ſuæ requietionis, interceſſit. Unde & accuſator, poſtquam ſeptem annis dæmoniacus fuerat, in eo loco reſtitutus eſt per Deiparam Virginem, ejuſque famulam B. Mariam Doloroſam. *Ioan. Molan. in natal. SS. Belgii* 18. *die Iunii.*

Cuidam familiari Simeonis, qui propter Chriſtum fatuus haberi voluit, Ancilla erat, quæ à quopiã per libidinem con- D ſtuprata, ubi partus inſtitit tempus, ab heris patratorem probroſi facinoris ejus ac patrem pueri indicare coacta eſt. Illa per calumniam Simeonem clandeſtinè ſecum conſueviſſe, ſeq; ex eo gravidam eſſe dixit, & rem ita ſe habere, juramento confirmat: idque ſi opus eſſet, in faciem illi ſe dicturam promiſit. Hoc ubi ad aures Simeonis pervenit, factum ipſe quoque non negavit, carnem ſcilicet ſe quoque circumferre, lubricam peccandi proclivitatem inſitam ſibi eſſe dicens. Poſtquam autem eo nomine ſermones apud omnes de eo increbuerunt, & ipſe, ſicut videbatur, pudore perculſus eſt, licèt per fraudem, ſub verecundiæ prætextu ſeipſum ſubduxit. Et jam fatalis, & conſtituta pariendi dies aderat, & muliercula ſedili ſolito inſidebat, doloreſque vehementes exoriebantur cruciatum intolerabilem afferentes, ac miſella ultimum diſcrimen adibat, neque fœtus prodibat: cum in tempore ipſo Simeonem advenientem, ut preces ad Deum profunderet, mulierculæ aliæ rogarunt. Ibi ille propalam non priùs fœtum ſolem aſpecturum eſſe, quàm mater patrem clandeſtinum proderet, prædixit. Quod ubi fœmina profeſſa eſt, & patrem verum nominavit, confeſtim infans E maternis locis exiliit, veritate ipſa quodammodo obſtetricis illi officium exhibente. *Nicephl. l.* 17. *c.* 22.

* ACCUSATIO SUI.

☞ *Quære nonnulla verbo Confeſſio.*

EXEMPLA ET APOPHTEGMATA.

Veluti proximus ad converſionem gradus eſt peccati agnitio: ita & ſui de eodem accuſatio. Quocirca rogatus Anachoreta, quam potiſſimùm ad cœlum viam inveniſſet, reſpondit: Si ſe homo ſemper accuſet. *Doroth. doctrin.* 7.

S. Antonius ſciſcitanti, quam potiſſimùm hominis partem exiſtimaret: Eam ajebat, quæ peccatum propitium in conſpectu Dei ponit. *Ibidem.*

B. Catharina Senenſis, aliique Sancti, ad omnia mala quæ ſibi eveniebant, aut Reipub. humiliter confiteri ſolebant, culpa ſua ea evenire.

ACCUSATIO NON TEMERE ADMITTENDA.

JULIANUS Apoſtata, dum apud eum quis accuſaretur peculatus, qui tamen convinci de illo non poterat, & cauſidicus ira percitus clamaret, ea ratione nullum, quantumvis reum, criminis pœnas exſoluturum, dicebat: Ecquis inſons F erit, ſi accuſatori, crimine non probato, fides detur! *Zonar. tom.* 4. *Annal.*

Conc. Lateranenſe primum cap. 8. monet judices, ne facilè accuſationibus credant, ſed eas lentè & maturè examinent, priuſquam reum condemnent. Nam, ut habet *Seneca lib.* 2. *de Ira*. Veritatem dies aperit, poteſtque pœna dilata exigi, exacta revocari non poteſt.

Notus eſt lapſus Theodoſii in præcipitata ſententia Theſſalonicenſium.

Et Davidis circa Miphiboſet. 2. *Reg.* 4.

---

* Acedia.

* DEFINITIO & ETYMOLOGIA.

ACEDIA, quæ & Græcè ἀκηδία, dicitur ab α & κῆδος, id eſt, ſollicitudo, quaſi abſque ſollicitudine. Et eſt triſtitia de bono divino, in quantum divinum, de quo Charitas gaudet. G

Ἀκηδία ἐστὶν πάρεσις ψυχῆς, καὶ νόος ἔκλυσις, ὀλιγωρία ἀσκήσεως, μῖσος τοῦ ἐπαγγέλματος, κοσμικῶν μακαρίστρια, Θεοῦ διαβλήτωρ, ὡς ἀσπλάγχνου καὶ ἀφιλανθρώπου, ἀτονία ψαλμῳδίας· ἐν προσευχῇ ἀσθενοῦσα, ἐν διακονίᾳ σιδήρα· ἐν ἐργοχείρῳ ἄοκνος: ἐν ὑπακοῇ ἀδόκιμος, id eſt, Acedia eſt remiſſio animæ, & reſolutio mentis, puſillanimitas exercitationis, odium profeſſionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei quaſi inviſceroſi & exiſtentis ſine benignitate, attonita in pſalmodia, infirmans in oratione, in miniſterio ferrea, in opere manuum non pigra, in obedientia improba. *Hæc ex Ioan. Climacho.*

Acedia eſt tædium benè operandi, & triſtitia de re ſpirituali: vel receſſus mentis à bono ſpituali divino, cui oportet mentem inhærere ex neceſſitate. *Hæc ex B. Thom. ſecunda ſecundæ q.* 35.

Acedia eſt ex confuſione mentis nata triſtitia, ſive odium, & amaritudo animi immoderata, ut ait *Hugo l.* 2. *de Sacramentis.*

Acedia eſt torpor mentis, bona inchoare negligentis, *ſecundum Richardum.*

Acedia eſt de virtutum laudabili exercitio utriuſque ho- H minis languida dejectio, *ſecundum Greg. in Homil.*

Acedia eſt triſtitia aggravans mentem, ut nihil boni ei agere libeat, *ſec. Ioan. Damaſc. lib.* 2.

Acedia eſt pigritia, & inertia, & fatigatio animi, qua quis bonum inchoatum faſtidit, *ſecundum Ciceronem lib. Tuſc. quæſt.*

Acedia ab invidia differt. Quia invidia eſt de bono alieno, Acedia verò de proprio.

EFFECTUS VARII.

Effectus Acediæ aſſignat D. Gregorius, malitiam, rancorem, puſillanimitatem, deſperationem, torporem circa præcepta divina, & mentis euagationem circa illicita, *l.* 1. *in lib. Regum* 1. *c.* 14.

QUOMODO SUPERETUR?

S. Caſſianus dixit: Experimento probatum eſt, Acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam, *lib.* 10. *c.* 25.

A Ita etiam docet *S. Bernard. ſerm.* 3. *de Aſcenſione:* qui addit: Illam inſuper ſuperari, luxuriæ fuga. Addunt alii, devotæ Orationis beneficio, quam patiens Acediam in ſe excitabit. De quo iterùm *Bernard. ſerm.* 22. *in Cant. Auguſt. in Pſal.* 106. Denique noviſſimorum jugi recordatione. Nunc exemplis hoc totum illuſtremus.

Vitium generale,

Quamvis Acedia, ut verſatur circa bonum divinum, ſit ſpeciale vitium, non tamen quando eſt triſtitia de bono cujuſque virtutis: eò quòd unumquodque vitium tædioſum faciat bonum oppoſitæ virtutis. Ita *Ioan. Malderus tract. de Iuſt. & Relig. q.* 35. *aſſert.* 1. *not.* 3.

ACEDIÆ

EXEMPLA EX S. SCRITURA.

SAMSON, dum cum Philiſtæis pugnat, non poteſt capi ab hoſtibus; ſed poſtquam dormivit in ſinu fœminæ, & otioſè cum ea remanſit, mox capitur, & cæcatur ab hoſtibus. *Iudic.* 16.

Quamdiu David exercitavit ſe in militia, non inſultavit B ei luxuria; ſed ubi otioſus remanſit domi, laboravit adulterio, & homicidium commiſit. 2. *Reg.* 11.

SALOMON, dum occupatus eſſet in ædificatione templi, non ſenſit luxuriam; ſed mox recedens ab opere, perſenſit ejus inſultum, & deficiens, fœmina inſtigante, ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum. 4. *Reg.* 11.

Cùm Sodomitæ homines in otio hebeſcerent, in ſpurciſſimum illud nefariæ libidinis ſcelus præcipites lapſi ſunt. *Ezech.* 16.

VIRGINES dormitantes, quarum lampades non fuerant priùs ornatæ, fuerunt poſtea à nuptiis excluſæ. *Matth.* 25.

EXEMPLA HISTORICA

Superatæ Acediæ.

Per exercitium & otii fugam.

Ferunt, B. Virginem Dei Matrem, dum adhuc in templo ſerviret, à ſummo mane uſque ad horam tertiam precationes extendiſſe, à tertia ad nonam lanificio ſeſe occupaſſe. Inde demùm ſumpto cibo, uſque ad occubitum Solis lectitaſſe Scripturas, & in earum meditatione pernoctaſſe. Hac C itaque vitæ inſtitutione ad tantam morum ſanctitudinem devenit, ut ſola præ omnibus eligi meruerit, quæ & Salvatorem mundi pareret, & poſt partum Virgo permaneret. Quòd ſi hæc, quæ ſine peccato concepta, omnis prorſus peccati ſemper expers fuerit, id temporis, quod lectioni orationique ſupererat, manuum labore ſibi tranſigendùm duxit: quomodo te in ignava otii mollitudine quandoque deſidentem, ſecuram arbitraris, ò virgo, quam in peccatis genuit mater, quam quotidie interiùs cogitationes, exteriùs proni ad vitia ſenſus impugnant? Crede mihi, non effugit decipula diaboli, quiſquis laborem fugit. *Marul. lib.* 1. *Exemp. c.* 9.

D. ANTONIUS monachorum pater cupiens otioſitatem fugere, clamavit in eremo ad Dominum, & dixit: O Samaritane, Domine Deus! O animarum & corporum verè cuſtos, ſuſcita in me gratiam tuam, infunde ſervo tuo miſericordiam, ut in eremo collocatus, in conſpectu tuo otioſus non maneam. Et audivit Antonius: Antoni, cupis Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, ſemper aliquid facito, fac quod in te eſt. Age quod potes, & D non deficiet tibi auxilium in ſancto. *Athanaſ. in vita.*

Hæc etiam otii vitandi cura conjugatam honeſtavit Lantgravii Turingiæ Principis uxorem ELIZABETH, quæ erat Pannonum Regis filia: cùm multis ante viduitatem opibus polleret, ne quandoque per otium luxu difflueret, ancillarum officia uſurpabat, lanam linumque carpendo, nendo, texendo, ſuendo, cæteraque id genus opera conficiendo ſe plurimùm fatigabat. Sic pudicitiam conſervavit, ſic humilitatem cuſtodivit, ſic ipſa Euangelicæ perfectionis inſignia, quibus poſt obitum mariti eluxit, comparavit. Etenim ad illam beatitatis quietem perveniri non poteſt, niſi per vitæ præſentis frequentes aſſiduoſque labores. *Conrad. in vita apud Surium tom.* 6.

DOROTHÆUS, Thebanus monachus, interdiu lapides ex mari, quod erat in proximo, colligere, inque annos ſingulos extruere parvam domum ſolebat, & eam dare his qui ſibi domum ædificare non poterant. Noctu autem folia palmarum nectebat textura tortili, & ex illis ſportulas conficiebat, quibus victum ſibi ſuppeditaret. Nunquam viſus eſt ſua ſponte quieti ſe tradere. Cui quidam, Cur inquit, ita corpus conficis? Quia illud, inquit, me conficit. *Sozom.* E *lib.* 6. *c.* 19.

Per memoriam Noviſſimorum.

Quidam Frater perrexit ad Abbatem Alexandrum, ipſius monaſterii Abbatis Geraſimi ducem, & ait illi: Abba, volo ex eo loco, ubi habito, diſcedere; valdè enim acedia, & tædio animi laboro. Reſpondit ei Abbas Alexander: Iſtud fili, ſignum eſt, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes: nam ſi iſta ſollicita intentione cogitares, nullam in cella tua acediam ſentires. *Sophron. in Prato c.* 142.

☞ *Vide multa in loco de Iudicio univerſali.*
Item de Noviſſimis.

Perſeverantia.

Cùm incipiens in eremo commorari, Abbati Moyſi omnium ſanctorum ſummo dixiſſem, me ægritudine acediæ heſterno die graviſſimè fuiſſe confectum, nec ab ea potuiſſe aliàs liberari, niſi ad Abbatem Paulum protinùs cucurriſſem, ille: Non te, ait, ab ea liberaſti, ſed magis ei te addictum ac ſubditum præbuiſti: graviùs enim te ut deſer- F torem ac fugitivum deinceps adverſarius impugnabit, quem de conflictu ſuperatum protinùs aufugiſſe conſpexit; niſi de cætero commiſſa congreſſione, non deſertione cellæ, vel ſomni torpore ingruentes æſtus ejus ad horam evaporare malueris; ſed tolerantia potiùs & conflictu didiceris triumphare. Unde experimento probatum eſt, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam. *Ioan. Caſſian. lib.* 10. *c.* 25.

Ob Acediam puniti.

Franciſcus Picus Comes Mirandulanus in vita Joannis Pici patrui ſcribit, non longo poſt obitum Joannis Pici tempore, ſpectrum Joannis apparuiſſe Hieronymo Savonarolæ, eique dixiſſe, torqueri ſe pœnis expiatoriis, eò quòd non ſatis diligenter & fœcundè talentum ſibi à Deo creditum eruditionis & ingenii multiplicaſſet; & quia non quanti par erat feciſſet internas Dei ſuggeſtiones inſpirationeſque, quæ adhortabantur, honeſtos labores quos inchoarat, non abrumpere, & quæ ſibi animo propoſuerat, ea inſtanter operari atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione propoſuit, & omnium precibus Picum commendavit. *Mart.* G *del Rio lib.* 2. *diſquiſ. Magic. quæſt.* 26. *ſect.* 5.

Vidi Juvenem, inquit Thomas Brabantinus, cujus amariſſima relatione memini, quod ſubjungo. Hic piorum fratrum ſuorum labore manuum vivebat: ipſe verò ſegnis otio vacabat & tædio. Et factum eſt animadverſione divina, ut eo cum patre & fratribus ad menſam ſedente, cibi (ſicut ei ſoli videbatur) verterentur in angues, ſapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cùm per aliquot dies continuaretur in pejus, tandem mutato vitæ propoſito, liberatus eſt & ſanatus. *Tom. Cantiprat. lib.* 2. *Apum. p.* 2. *c.* 9.

Senex quidam narravit nobis, cùm Thebaidem veniſſemus, quòd Senex unus morabatur extra civitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cella ſua egerat ann. 70. Erant autem illi diſcipuli decem, ex quibus unus erat valdè negligens ſui. Senex ergo ſæpiùs illum corripiebat, & hortabatur, dicens: Frater, ſollicitudinem gere pro anima tua; habes enim mori, & niſi te emendaveris, in ſupplicium tendes. Frater autem ille ſemper ſeni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipſo dicebantur, admittebat. Contigit autem poſt aliquantulum temporis, ut iſte moreretur. Contriſtatus verò ſenior H ſuper illo valdè (ſciebat enim, quòd in magna deſidia, & negligentia de ſæculo exiiſſet) cœpit orare, ac dicere: Domine Jeſu Chriſte, verax Deus noſter, revela mihi, quid ſit circa fratris animam. Aſpexit autem, in exceſſu mentis effectus, fluvium ignis, ingentemque, in ipſo igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum uſque demerſum. Tunc ait illi ſenior: Nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres, fili? Reſpondit frater, & ait ſeni: Gratias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas ſupra caput Epiſcopi ſto. *Sophr. in Prato ſpirituali c.* 44.

☞ *Vide Otium, Tepiditas, Secordia, Negligentia.*

Acerbitas.

☞ *Quære Inhumanitas.*
☞ *Item Reprehenſio acerba.*

A * Acetum.

Materia, Locus.

Aceti materia præſtantiſſima eſt vinum, quod ſoli ardenti certo temporis ſpatio expoſitum, aceſcit. In regionibus vino deſtitutis, aquam lupulo & frumento coctam, quam Cereviſiam appellant à materia, ſcilicet Cerere, adhibent; alibi liquores pomis aut aliis frugibus expreſſos.

Chrysippus Philoſophus Cnidium acetum reliquis præfert, & Ægyptium. *Ariſtophanes* Sphettium præponit. Meminit Cleonei aceti, veluti eximii, *Diphilus*. Magno in pretio habetur & Decelicum. *Athen. lib. 2. c.* 30. In Germania & Belgio, excellit Argentoratenſe, quodque ex vino Rhenano confectum, cæteris præcellit.

Tradit ex Varrone *Ioan. Pierius lib. 58. hieroglyph. c.* 58. in fine, Qui ex vino acetum horarum trium ſpatio conficere voluerit, radicem betæ contuſam in dolium injiciat, & illicò aceſcet.

B

Acinacis.

☞ *Vide Gladius.*

---

* Acies.

Definitio & Acceptio varia.

Acies apud hiſtoricos accipitur, ſecundum Frontinum, pro inſtructo exercitu. Eſtque diſpoſitio certa militum ad conflictum cum hoſte ineundum, aut ipſius inſultum repellendum vel ſuſtinendum. Ad utrumque enim ſolent in caſtris duces aciem diſponere, & in ea militem continere. Græci παρατάξιν dicunt, præſertim ſi ad dimicandum manus promptæ fuerint, & arma expedita. Fortaſſis ab acumine etymon nominis deſumptum eſt, quòd videlicet acuto ferro tunc res agatur, vel quòd acies ipſa in acumen dirigi C ſoleat. Nota ſiquidem vocis hujus uſurpatio pro acumine falcis, gladii, aut alterius inſtrumenti ſectilis, ἀκονὴ Græcis ἀπὸ τῦ ἀκονᾷν dicitur. Denique pupilla oculorum acies appellatur apud Ciceronem *in ſom. Scipion. & lib. 2. de natura Deor.* Hinc pro ingenii perſpicuitate per translationem accipitur: eoque utitur *Cic. in Catone*. At prior acceptio communior eſt, & hujus loci.

ACIERUM DIRECTIO, Instructio.

Scripſerunt de hoc argumento multa ingenioſè ſimul & eruditè Onoſander, Ælianus, Nazarius, Vegetius, & Frontinus, multaque curioſè circa illud obſervarunt ex variis hiſtoriarum traditionibus. Nos è multis pauca dabimus velut in compendium relata, uberiorem eorundem cognitionem & tractationem præfatis ſcriptoribus relinquentes.

Multipliciter & variè inſtruitur acies. Nam armaturæ, militum, locorum, copiarumque hoſtilium habenda ratio eſt. Et varias hujuſmodi rationes, ut occaſio exigere videbitur, experiri ſciet Imperator. Quæ verò abſque rerum ſingularum inſpectione multis ordinum diſpoſitionibus convenire D poterunt, ea ſummatim deinceps perſequar.

Copias equeſtres Imperator non pro arbitrio ſuo, ſed ut neceſſitas coget, ordinabit, & hoſtium equitatu inſpecto, ſuos equites contrà conſtituet.

Eo autem modo diſponat, quo inſtrui ſolet pugna in cornu, ut & à fronte, & à latere pugnare poſſint, in ampliore loci ſpatio expeditiores, & ut cæteri, qui hos ſubſequentur, equeſtri arte uti commodè valeant.

Levis armaturæ milites, jaculatores, ſagittarios, & funditores, in primo agminum ordine collocabit. Nam ſi à tergo illi ſubſiſtant, plus damni ſuis, quàm hoſtibus, inferent; ſi in medio, inefficax, & nihil erit tota illorum induſtria: nec receſſim cedere poterunt, ut contentis viribus jacula certiùs vibrent: aut ſi procurrendo conjicere velint, præcedentes ſocii impedimento erunt: funditores verò, nec fundam rotare, nec verbera explicare poterunt, tot ſociis militibus hinc illinc adſtantibus, qui fortè in telorum turbines ipſi quoque incurrent. Sagittarii quidem ante alios diſpoſiti, in hoſtium corpora, velut in ſcopum, jacula ſua dirigent. At ſi in poſtrema, aut media acie ſint; in ſublime jaculabuntur, adeòque ſurſum quidem ſumma vi ſpicula emittent, ſed ſtatim in E hoſtium capita remiſsè, quaſi jam confutato impetu, decident, nec graviter lædent.

Si fortè armis decernendum ſit in locis, modò per plana depreſſis, modò collis inſtar adſurgentibus, tunc maximè Imperator levem armaturam in locis aſperis collocet. At ſi ipſe planiciem occupaverit, & aliquot ex hoſtilibus copiis in arduis locis conſtiterint, velites erumpere jubeat. Nam faciliùs iſti conjectis telis ſecedere poterunt, & ſi agiles ſint, expeditiſſimè in colles ipſos procurrent.

Interjiciantur inter ordines quoque intervalla quædam, ut ſi miſſilibus conjiciendo abſumptis, nihilominùs hoſtes urgeant, priuſquam manus conſerant, poſſint velites objecto medio agmine, compoſitè converſi, abſque tumultu, ad poſtremos ſeſe recipere; Nec enim totum exercitum tutò circumire, aut in cornua curvari poſſent. Nam ſubitò eos adverſarii pugna commiſſa anteverterent, medioſque ita includerent, ut denſis militibus vim inferre nequirent; ſed potiùs in propria arma impulſi, ordines conturbarent, alio in alium incurrente. Levium autem armorum tranſverſi in cornua impetus, non levem hoſtibus perniciem adferunt: F jacula enim è lateribus conjiciunt, & hoſtium corpora, quà nuda ſunt, feriunt. Sed inter illa arma fundæ pugna præcipua eſt. Nam plumbei globuli, ob conſimilem aeri colorem, fundis emiſſi, oculos fallunt, & improviſi in hoſtes incautos decidunt, eoſque gravi lapſu vehementer affligunt. Telum enim fervido ſtridore in aere agitatum, igneſcit, & alto inflicto vulnere, in carnem ita penetrat, ut conſpici nequeat, tumore vulneris connivente. Onoſander *cap. 15. 16. & ſeqq. Strateg.*

Si levis armaturæ ſubſidio Imp. deficietur, eoque hoſtes polleant, tunc primi denſo agmine conſiſtant, clypeoſque habeant, ad humanæ ſtaturæ modum oblongos, quibus totum facilè corpus obtegatur, & quotquot deinceps uſque ad poſtremos erunt, clypeos hujuſmodi ſupra caput extendant, quamdiu intra telorum jactum manebunt. Sic enim quaſi imbricibus tecti, nihil ab telis damni perpetientur. Sin utrique exercitui præſtò ſint velites, primi, antequam ad manus tota acies veniat, conjectis eminùs telis inter ſeſe decertent, aut in ipſo agminum congreſſu hoſtium latera petentes, telis ſuis utantur. Hujuſmodi enim concertationibus com- G pellent eos in anguſtum, nec ſine magno tumultu.

Imp. etſi ne ab hoſtibus circumveniatur, maximè cavere cupiat, non ideò tamen in tantam latitudinem phalangem extendat, ut imbecillis omninò tenuiſque ſit. Hanc enim citò perrumpere inciperent hoſtes, viamque ſibi vi facerent; nec jam cornua circumdare, ſed diſiectis mediis copiis, terga adverſariorum opprimere tentarent. Iſtam verò cladem non ſolùm curet evitare, ſed etiam conetur inferre, ſi invalidam & exilem eſſe animadvertat hoſtium phalangem. Sed nec etiam poſtremos ordines in multam denſitatem ita contrahat, ut facilè circumvenientibus hoſtibus intercipi poſſint. Imò eos, qui agminis caudam, & cornuum latera tutabuntur, non minùs obfirmet, quàm ſi in prima acie primi conſiſterent. Nec enim minùs, qui in poſtremis ordinibus ſunt, circumvenientes hoſtes diſſipant, quàm qui ad cornua extenduntur; ſiquidem Imperator futura mente percipiens, aut ultimum agmen explicare voluerit, & inſuper phalangis cornua utrinque promovere, ita ut poſtremi adverſus hoſtium frontem conſiſtant: aut juſſerit, ut ſi jam fortè ab hoſtibus circumventi ſint, ob terga præcedentium terga obver- H tant ſua, pugnaque decertent ancipiti. Solers quidem ille cenſebitur, qui permultos hoſtes cernens, exigua manu periclitaturus, operam dedit eligendis obtinendiſque iis locis, in quibus propter amnium ſupercilium acie inſtructa, montium ipſorum auxilio, cornua includere volentes excludat; paucis in eminentioribus jugis collocatis, ad hoſtes arcendos ne aſcendere, & ſupra militum ſuorum capita eſſe poſſint.

Ad hæc autem negotia, non ſolùm Imperatoris prudentia valdè confert, ſed etiam fortuna. Talia enim loca fortuita eſſe neceſſe eſt, nec Imperator ea pro arbitrio præparare poteſt. Erit tamen ejus conſiderare, quænã meliora & commodiora erunt. Etenim qui ingentes numero ducunt exercitus, ſæpè acie in lunæ figurã inſtructa progredi ſolent, rati fore ut hoſtes quaſi provocati, pugna, ita ut vir virum legat, implicata, decertent; & hoc modo ſemicirculari progreſſu ſenſim curvato, ambobus cornibus mutua conjunctione in circulum coeuntibus, circumſcripti teneantur. Sed contra hunc polum pari figura non eundum erit; imò tres in partes tribuendæ copię, ac duas quidẽ Imperator hinc illinc hoſtium cornibus

A objiciet; tertiam verò in lunatum eorum ſinum immittet, & contra ſtando firmiter obnixo gradu urgebit. Unde fiet, ut ſi in circulari figura permanſerint, qui in media phalange erunt, nihil agant: aut ſi accedendo ad interiora progredi turmatim voluerint, & ſemicirculum rectà extendere ſeſe tum invicem elidant, & ordines diſſolvant. Fieri enim nequit, ut manentibus ſuo loco militibus, pugnantibuſque in cornu, dimidiatus ille circulus in rectam ſeriem perveniat. Itaque conturbatis diſiectiſque ordinibus tertia & ſubſidiaria ſuorum diviſione, irruptionem faciat in eos, qui de medio illo fornice in anteriora tumultuariè ferentur. Sin curvati & fornicati conſiſtant, iis velites & ferentarios opponat: miſſilibus enim nec leviter affligentur. Benè etiam Imperatori ſuccedet, ſi toto agmine obliquo, limis ictibus, hoſtilem utramque lunati exercitus partem feriat: ſic enim hoſtes, dum manum totis copiis conſerere diu prohibentur, paulatim altero tantùm cornu depugnante, comprimuntur: primi quoque neceſſariò pugnæ ſeſe immiſcebunt, obli- B quo & tranſverſo impetu coacti. Nec etiam de nihilo erit, ex adverſo inſtructa acie, pedem ſenſim quaſi metus cauſa referre, aut converſis ordinibus, fugæ ſpeciem recedendo exhibere, & mox quaſi reparata fronte, inſiſtentibus hoſtibus obſiſtere. Interdum enim illi præ gaudio veram eſſe fugam rati, ſolutis ordinibus adverſarios urgent, ac turbidè alii ante alios procurrunt, quibuſcum tunc decertare minimè periculoſum eſt. Illi enim, reſiſtentibus præter ſpem adverſariis, perterriti, fugam ſtatim facient, qui alios olim inſequebantur. *Idem c. 20. & 21.*

Et paulò pòſt: Det operam Imp. ut ſelecti aliquot milites ſeorſim extra agmen clanculùm collocati, tanquam ſubſidiarii, inclinantem exercitus partem, prompti illicò paratique ope ſua erigant. Atque aliàs etiam non parùm juvabunt, qui integris viribus adorientur feſſos. Nam & ſuos ſimul jam fatigatos recreabunt, & hoſtes jam fractos ac languidos alacres ipſi urgebunt. Hinc etiam major exiſtet utilitas, ſi quanto Imperatori videbitur ſpatio, remotæ ab exercitu copiæ aliquot clam hoſtibus relinquantur, ut commiſſo jam prælio, id quod à ſpeculatoribus facilè renunciabitur, erumpant, inque C hoſtes totis viribus impetum faciant. Quod tùm maximè uſurpandum erit, cùm ſeparata auxilia per tempus non ſubvenient. Hoſtes enim rati auxiliares iſtas adverſariis copias adveniſſe, fortè priùs ſe in fugam conjicient, quàm immiſcuerit ſeſe acies; majorem hoſtium, quàm revera ſit, multitudinem adventare exiſtimantes. Ac præſertim quidem ſi improviſi appareant hoſtes, adverſariorum animi percelluntur. Suſpicantur enim gravius quidpiam ſe perpeſſuros, proindèque terribiliora ſibi ventura pericula proponunt. Omninò autem terrificum erit, repentina in eos à tergo irruptione ferri: &, ſi fieri poſſit, noctu cohortes aliquot præmittere, ut circumdatis hoſtium copiis à tergo conſiſtant, & manè pugna jam commiſſa, ex inſidiis poſtremum hoſtium agmen adoriantur. Ita enim ne in fuga quidem ſpes ulla ſalutis illis ſupererit, qui nec retrò ſe convertere poterunt, propter oppugnantes ex adverſo; neque in adverſos hoſtes ire, propter eos qui terga urgebunt ac prement, *c. 22. Strateg.*

Eſt etiam prudentis Imperatoris, ordines ita diſponere, ut fratres cum fratribus, amici cum amicis unà ſint. Quum enim, qui in diſcrimine verſatur, proximus illi eſt, à quo diligitur; tunc neceſſariò evenit, amicum pro amici ſalute D audaciùs depugnare. Pudet quippè gratiam benè merenti non referre; & ſocius ſocium deſerendo, ſi prior in fuga eſſe videatur, erubeſcit, *cap. 24. Strateg.*

Rurſus ille ait: Imp. milites ſuos, & pedem referre, & hoſtes perſequi, ordine ſemper ſervato, jubeat, ut non ſingillatim diſperſi, in hoſtium manus incidentes, dum fortè fugient minore clade premantur; & ſi rem benè feliciterque gerant, integris ſemper ordinibus, ac manipulis, majorem hoſtibus perniciem inferant, & fortiores exiſtimentur, ſintque reipſa tutiores. Nam plerumque terga vertentes hoſtes, cùm adverſarios paſſim, nulloque ordine inſequentes vident, conſpirantibus mutatiſque animis, ordines ſuos repetunt, ac reparant, rurſuſque converſi impetum acriter urgendo faciunt. Scilicet fatentur experti, melius tutiuſque nihil eſſe, quàm ordines ſervare; nihil contrà pejus & periculoſius, quàm ſolvere, *cap. 27.*

Leo Imperator inſtruens filium ſuum, quomodo ſe in caſtris gerere debeat, dum manus cum hoſte veniunt conferendæ; ita ſcribit: Deinceps jam de diverſo ſtudio acierum inſtruendarum, quibus aliæ nationes, & quibus Romani Imperatores initio utebantur, verba faciemus, ut iis cognitis, non modò, ſi opus ſit, uti poſſis, ſed alia quædam prætereà E excogites. Solertia enim Imperatoria, ubi occaſionem rerum gerendarum ceperit, non in iis ſolùm quæ inventa ſunt, conſiſtit, ſed etiam multò plura ac ſæpè meliora excogitat.

2 Aſſidua enim aliqua bellicorum motuum exercitatio, utilitatem permagnam militi apportat: ſed ea hoſtibus facilè indicatur, vel per hoſtium ſpeculatores, vel per transfugas qui ad hoſtes defecerunt. Itaque ſæpè alia excogitata benè atque exercitata aſtutia, irrita, nulliuſque momenti eſt.

3 Quæ à nobis in capite de exercendis militibus commemorata eſt exercitatio, ea, quoniam ſimplex eſt, & ad univerſam aciem accommodari poteſt, neque facilè efferri hoſtibus aut divulgari poteſt, ſatis eſſe militibus idonea & accommodata poteſt.

4 Sin aliqua opportunitas interveniat ad exercitationem agitationemq; militum majorem ſuſcipiendam, diverſis formis exercitationibuſq; turmas, cohortes milliarias, reliquaſque cohortes agitabis, tum iis quæ ad uſum neceſſariæ ſunt, tùm iis quæ ſupervacaneæ ſunt: quæ quanquam omni tempore neceſſariæ non ſint, interdum tamen utiles eſſe ſolent. F

5 Unicuique aciei exercitationique certa quædam nota adhibeatur, ut qui in quotidiano bellicorum motuum uſu milites ſunt, uniuſcujuſque aciei differentiam cognoſcant; neque quaſi peregrini aut hoſpites ignorent, quando aliquid illis agendum præcipitur, quænam potiſſimùm aciei forma ipſo belli tempore ab Imperatore præſcribatur.

6 Forma differentiæ acierum triplex eſt, una utilis, qua etiam Romani uti conſueverunt. Ea eſt, quæ cohortes ſuas confusè inſtructas, & non in proclaſtas, id eſt, curſores, aut vindices; id eſt, defenſores, diviſa eſt; ſed omnes cohortes ſimul inſtructas, neque in tres aut in duas partes diſtributas habet. Qua in parte duobus cornibus, quaſi ad circumcludendos alios, ſatis juſtum ſpatium capientibus, & ad ſe mutuò iterum reclinantibus, dextrum cornu exterius, ſiniſtrum autem interius orbiculatim contrarium inter ſe profectionem obambulent. Qua forma menſe Martio equites inter ludendum utebantur.

7 Alia forma eſt, quando in acie curſores & defenſores inſtruuntur: cùmque hæ partes diviſæ ducentos aut quadrin- G gentos contineant, longo intervallo à ſe diſtent, & inter movendum velut facto agmine curſores ad inſequendos alios exeant, deinde redeant; interdum quidem per opportuna loca cò dilabantur, & ſimul cum defenſoribus adverſum hoſtes procedant, interdum per eadem ſpatia redeant, & in extremis oris duarum partium iidem appareant, qui ante in illis collocabantur.

8 Alia forma eſt, quando una quædam acies inſtruitur, & media pars in defenſores, reliquæ partes in curſores conferuntur: deinde excurſio quædam quaſi ad inſequendos alios fiat, & media pars quaſi defenſores conſequatur, reliquæ partes utrinque quaſi curſores exeant, tum in redeundo una pars cunctatur, & tardat foris, altera quaſi facto agmine cedit ad defenſores, & rurſus procedente jam ea quæ conſtitit defenſores verſus, altera in occurſum illius currens per unam partem tranſit, atque hoc modo una pars alteri ex adverſo eſſe invenitur, cùm ſe ipſas non pellant.

9 Alia quædam forma eſt huic omninò contraria, quæ mediam partem ad curſores habet, reliquas utrinque partes H ad defenſores conferat.

10 Conſueta hæc Romanis acies, adverſus omnes nationes utilis & commoda eſſe videtur, quando acies in propugnatores & ſubſidiarios, id eſt, curſores & defenſores, lateranos & corniſtites, tergiſtites & inſidias dividitur, quemadmodum ſuprà à me commemoratum eſt.

11 Hæ exercitationes ſic ſuſcipiendæ ſunt, ut ne hoſtibus notæ pervagatæque fiant. Prima igitur acies inſtructa, ſecundam ſimul ſecum aciem nõ habeat, ſed ſeipſam ſolã, ſine lateranis & corniſtitibus, ſine tergiſtitibus & inſidiis, quę exercitatio maximè ſimplex neceſſaria videtur: & vice ſecundæ aciei, mediocriter intervallo interjecto, paucos quoſdã equites à tergo cõſtitutos habeant, ad quos ſe recipere diſcant. Similiter ſeparatim ſecundã aciẽ inſtrues, & paucos ante equites collocabis, ut diſcat ſecunda acies eos fugiẽtes idoneè recipere. Poſſunt etiam laterani & corniſtites ſuã quandã ante bellum habere exercitationẽ, ut hoc modo univerſus exercitus omnes ad motus aſſuefiat: hi tamen minimè hoſtibus aut cæteris palàm fiant. Hoc fiet, ſi corniſtites, id eſt, qui dextram in partem ad circumcludendos hoſtes collocãtur, ſive à latere æqualiter cum fronte aciei inſtruantur, ubi occaſio cornu